









XI

LAURENTII STRAUSSII
Med. D. & PP.

EXERCITATIONES MEDICÆ,

AD


Viri Celeberr.

DN. D. GREGORII HORSTII,

Med. quondam in almâ LUDOVICIANA Profess. Primarii, & Archiatri Hassiaci Compend. Inst. Medic. accommodatæ.

GISSÆ.

Ex Officinâ Hampelianâ. CIↃ IↃC LXX.







VIRO
Nobilissimo, Amplissimo, atq; Expertissimo
DOMINO
JOH. DANIEL. HORSTIO,
Phil. & Med. Doctori Excellentissimo, Diversorum S. R. I. Principum ac Magnatum Consiliario & Archiatro, nec non Collegii Medici Francofurtensis Seniori Gravissimo, Meritissimo,

Domino Socero suo omni pietatis ac honoris cultu ætatem Venerando,

Perennem εὐδαιμονίαν P.

Laurentius Straussius.



UM ingenui sit, fateri, per quos profeceris, non poterit non esse ingrati animi indicium, eorum, quibus maxi-

 mam

mam profectuum partem debemus, nomen ac in eos merita indigno silentio involvere. Ego, quem-adinodum non tàm inanis gloriæ, quàm discendi desiderio flagravi semper, atq; etiam nunc flagro, ita nullâ æq; re delector, quàm si publico ostendere testimonio liceat, quantum Præceptoribus ac Fautoribus meis debeam. Quamvis enim eô ipsô, quod ex alieno ære exire nondum valuerim, rubore potius suffundi deberet facies, animusq; tristiori istiusmodi recordatione graviter percelli; tales tamen Creditores meos hactenus expertus sum, ut non tàm ipsam solutionem desiderare, quàm in meâ solvendi voluntate penitùs conqui-

eſcere videantur. Hos inter niſi Te, Dn. Socer pl. venerande, præcipuô ponerem loco, næ! ineptus Tui in me adfectus, ac benevolentiæ æſtimator jure meritô viderer. Verùm uti longè alius mihi eſt animus, ita quoque abripi me ſentio in tuas laudes, monerique, ut tot animi tui erga me optimè animati teſtimonia fuſiùs deprædicem: ſufflaminat tamen ſcripturientis calamum, quòd ignorare non poſſum, tædioſam potius tibi ſic fore epiſtolam, quippe cui non tam laudari, quàm benefacere, volupe eſſe conſuevit. Accedit quod, quæ ego dicere porrò poſſem, jamdudum illis, qui in Medicæ Artis, celebriſque Famæ Palæſtrâ ſeſe exercuerunt,


tàm perspecta sint, & congnita, ut non solùm conatu ad me minimè pertinente actum agerẽ, sed intempestivâ quoq; arrogantiâ, æque ac tenui oratione, argumenti hujus dignitatem non parùm detererem. Quare hoc mihi jam unicè agere animus est, ut, non in ingrati sinum tot beneficia Te infudisse, aliquantisper intelligas. Ausus itaque sum Nomini Tui hasce *Exercitationes* meas inscribere, & veluti gratæ mentis tabulas Tibi in Memoriæ Templo suspendere: non quòd illæ istum adeò mereantur locum, quas arrosos minimè ungues sapere, nõ tàm Suffenus mihi sum, ut non videam; sed quòd nemini æque ac Tibi, *Socer Optime*, eas debem

ex

existimem. Sunt enim veluti quidam fructus, quos ex eruditissimis Magni Parentis Tui, Viri de Re Medicâ optimè meriti, monumentis maximam partem pro ingenioli mei modulo collegi, quosque nunc Tibi obfero, ut, sicubi per negotia Tua gravissima, & vel solâ assiduitate molestissima, quandoq; licuerit, delibare eos, ac judicare digneris, num maturos satis, & qui salivam movere queant, decerpserim. Gratulabor mihi, si, quæ passim, instituti ratione sic requirente, non tàm industriâ aliquâ elaboravi, quàm potius ex calamo effluere passus sum, Tibi haut planè improbari intellexero; eritque mihi instar stimuli solidiora, σὺν θεῷ,

in lucem edendi, ſi non omni me conatu excidiſſe, Tua ſententia, cui omnia ſubjicio, pronunciârit. Quod reſtat, Deum T. O. M. ſupplex veneror, Te, *Socer* parentis inſtar devenerande, diutisſimè καὶ πανοικὶ incolumem ſervare velit, ut dum tot Principibus es à Conſiliis, tot ægris felicem navas operam, ipſemet animo & corpore valeas, & quam Tibi ex animo apprecor aquilæ ſenectam, vivendo prorſus ex ſententia attingas. Dab. Gieſſæ Prid. Id. Septembr. Anno χριστογονίας CIↃ IↃC LXX.

BENE-



BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

V*Erum equidem est, quod* Hippocr. lib. de decent. ornatu *ſcribit*: πολλὰ γὰρ οὐδὲ συλλογισμοῦ, ἀλλὰ βοηθείης δεῖται τῶν πραγμάτων; *unde etiam* Celſus in præfat. Itaq; ingenium, *inquit*, & facundiam vincere, morbos autem non elequentia, ſed remediis curari, quæ ſi quis elinguis uſu diſcreta benè nôrit, hunc aliquando majorem medicum futurum, quàm ſi, ſine uſu, linguam ſuam excoluerit: *Ægrotus enim non eloquentem medicum, ſed curare ſcientem quærit. Verùm enim verò malè quidam* mutam *propterea Artem Medicam à* Virgilio *dictam autumant, quaſi Medicus eloquentiâ uti non deberet, cùm potius Poëta taciturnitatem Medico commendare voluiſſe videatur, ut, quæ in vulgus nota eſſe*

minus convenit, aut ab ægro ipsi concreduntur, sacro silentio premat. Sic etiam Medicinæ parentem Hippocratem, *quando tùm in modò citato textu, tùm alibi* βραχυλογίην *inculcat, non nisi garrulitatem in Medico reprehendere, manifestô esse indicio potest, quod ipse in* eodem libro, *ad tacendum obfirmato quidem animo, interim tamen* ἐυεπίῃ χρώμενον *esse, atque suaviloquentiâ uti Medicum jubeat. Quare tantùm abest, ut eos culpem, qui, elinguem sapientiam aversantes, maturè simul operam dant, ut* πρὸς λόγους ἀνυστοὶ, expediti ad sermones, καὶ εὔτεποι πρὸς τὰς ἀποκρισίας *evadant, ut potius omni laude dignos existimem. Vt enim jam non dicam, quantâ cum elegantiâ, quantâque cum utilitate hoc conjunctum sit, si quis, ad Medicam admissus consultationem, erudita facundia, quæ in rem ægri facere videntur, proferre sciat, quis est, quæso, qui inficias ire ausit, Medicum illum, qui sive immorigero, sive minus confidenti ægro optimis & efficacibus rationibus, tempestivâ sermonis suavitate necessariam curationi obedientiam persuadere novit, omne punctum non ferre? Plura quidem ad propositum hoc dici possent, sed, cum res ipsa satis loquatur, quidquid additur*

ditur, ſuperfluum eſſe videtur. Quæ cùm ita habeant, felices meritò illi judicantur, qui Medicinæ Sacris initiati illud πολυθρύλλητον : Loquere, ut te videam ! *ſubinde ſub pectore volvunt. Quamvis autem præcipua ſubſidia ex Rhetorum Scholis petenda videantur, plurimùm tamen Collationes illas litterarias, quas* Diſputationes *vocamus, hîc conferre, omninò perſuaſum habeo. Nonne enim hæc illa ipſa Palæſtra eſt, ubi animi ſenſa præſenti animo proferre, frequenti exercitatione aſſuefimus, & argumentorum pondus expendentes veritatis in viam jucunda methodo deducimur? Equidem eſſe novimus, quibus Collegia Diſputatoria non valdè arrident, neq; deſunt rationes, quæ horum ſententiæ egregiè favere videntur. Nam quis non averſetur illas de lana caprina altercationes; illas, uti* Hippocrates *loquitur,* μηδὲν ἐς χρέος πιπλέονας διαλέξιας, *ubi in Quæſtionibus, ut* Galenus *vocat, Logicis decidendis plurimum temporis inſumitur, vel, ut verius dicam, perditur? Parum, fateor, quod ad artem exercendam faciat, hinc elicere dabitur. Neq; vero melius negotium procedet, ubi crudus adhuc Præſes moroſis cum adverſariis ad raucedinem uſq; contendit,*

καὶ

ϗ οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν ἀκούει; graculos quidem ex istiusmodi nido, minimè vero philomelas, provenire crediderim. Et res ipsa loquitur, tales plerumq; ex ejusmodi arena prodire, quos non ineptè conferas cum Dæmonibus illis Empedocleis, qui totum per mundum vagati, nondum tamen quò consisterent, invenire potuerunt. Absit vero ut de omnibus hoc dicatur Collegiis Disputatoriis, siquidem ipsa, quæ ex quàm multis promanat singularis utilitas, aliter ut sentiamus, suadet. Nimirum verum esse deprehendimus, quod Scaliger *innuit, quando amicis altercationibus magis, quam tacitis meditationibus nos proficere scribit. Quemadmodum enim lapidum ex collisione ignis, ita quoq; ex disceptationibus elicitur veritas, dumq; problema aliquod concinnè proponitur, & decenter ventilatur, illud assequimur, ut utile dulci misceamus, h.e. elegantem dicendi promtitudinem nob. comparemus, atq; ad diversarum rerum scopum nostrum respicientium veritatem propiùs admittamur. Quô exercitii genere in Palæstra quoq; Medicâ vix dari utilius posse, illi demum experiuntur, qui jam Praxi Medicæ incumbentes ad utrumq; parati, ejusmodi Disceptationibus plurimum se debere, et-*

iam

iam nunc fateri coguntur. Hoc probè considerârunt Præstantissimi quidam Medicæ Artis Cultores, Auditores mei perdilecti, (quorum numerum ille Musarum exprimit, nomina vero seq. pagina exhibet) hinc etiam quatuor ante menses, ut Collegio illis Disputatorio gratificarer, à me petierunt; excitatus horum studio, illicò annui, huncque in finem Viri Celeberr. & de Re Medicâ optimè meriti, D.D. Gregorii Horstii, τοῦ μακαρίτου, Medicinæ quondam hac in LUDOVICIANA Professoris Primarii, & Archiatri Hassiaci, *posteà quoq́;* Collegii Medici, quod Ulmæ est, Directoris felicissimi, Compendium Institutionum Medicarum, *ob insignem, qua singula proponit, facilitatem, tumq́; etiam solida, ipsisq́; ex fontibus desumta fundamenta commendavi non solùm, sed etiam explicui, singulisq́; Disputationibus, ut ulteriorem in Recentiorum quoq́; placita inquirendi occasionem præberem, Theses aliquot, veluti superpondium adjeci; hinc natæ nobis sunt, quas Tibi* B.L. *offero* Exercitationes. *At levidensem, dices, opellam, vixq́; hoc nomine dignam, offers, neq́; tàm prolixâ in hasce Theses præfatione opus fuerat. Ita est, fateor; & siluissem etiam, nisi studium atq́;*

dili-

diligentia, quam prælaudati Philiatri *in hoc ſtadio prorſus ſingularem præſtiterunt, publicum aliquod teſtimonium à me exigere viſa fuiſſent; unde etiam in cujuſque commendationem hæc præfari, æquitatis eſſe duxi: quod reliquum eſt, illorum adimplebit virtus, quam ſui ipſius præmium eſſe, omnes boni experiuntur. Tu interim, L. B. noſtrum inſerviendi ſtudium, æqué ac errata Typographica,* (quorum en! præcipua quædam: Pag 27. lin. 18. leg. πρόςασιν. p. 29. l. 4. l. ejusq; famæ. p. 31. l. 6. l. τυτέυ: ἤ &c. ἄπεσεν. p. 35. l. 5. leg. μοῖρα. p. 40. *l.* 12. leg. δευτεροπαθικῶ. l: 17. l. συμπαθικὸν. p. 41. l. 9. dele. *verò*. p. 42. l. 2 l. ἄνθρωποι. p. 61. l. ult. l. per amplum. p. 70. lin. 11. l. μετάςασιν. p. 98. l. 21. l. reciprocum. p. 104. l. 22. l. famæ. p. 118. l. 21. l. experientiæ apertè &c. p. 132. l. 17. l. tamen *timidè* &c. p. 135. l. 7. l. fovere. p. 143. l. 21. l. Ἐκκοπρωτικὸν. p. 155. l. 10. l. qui rejectis &c. p. 157. l. 3. l. ἐπιπολᾶσι. p. 160. 21. l. ſuperare.) *pro tuo candore excuſabis, perſuaſum habens, hæc ἐ πρὸς βλάβην, ἐ πρὸς ἀπόδειξιν, ἀλλὰ πρὸς ὠφέλειαν ἑτέρων,* in uſum aliorum, *ut* Seneca *loquitur*, non autem præconium *noſtrum ſcripta eſſe. Vale.*

SEQUUN-







SEQUUNTUR

NOMINA

Prestantissimorum Dnn. Studiosorum, qui respondentium officio functi fuerunt.

Henricus Jacobi, Hildesiensis. Exerc. I. VIII. XVII.

Justus Fridericus Dillenius, Darmstatinus, Exerc. II. IX. XIIX.

Godofredus Händel / Hallâ-Saxo. Exerc. IV. X. XIX.

Henricus Schmidt / Giessensis. Exerc. III. XI. XX.

Joh. Christoph. Hert / Niderclеensis, Exerc. V. XII.

Wenc-

Wenemarus Elberus, Vesaliâ-Cliviacus, Exer. VII. XIII.

Joh. Philippus Lapin, Grunbergâ-Hassus, Exerc. VI. XIV.

Georgius Henricus Vertriesius, Giessensis. Exerc. XV.

Georg. Philippus Müller / Giessâ-Hassus. Exerc. XVI.



EXERCITATIO I.

DE

MEDICINA IN GENERE.

I. MEDICINA, singulare DEI T. O. M. donum, nomen à *medendo* potiùs, quàm à *medio*, vel *modô*, aut *medicamentis* accepisse videtur; id quod cum aliis artibus commune habet, quæ pariter ab actionibus quas exercent, nomen & appellationem suam sortiuntur.

II. Equidem propriè loquendo, soli parti θεραπευτικῇ Medicinæ vox competit, utpote quæ sola mederi, h.e. morbos depellere docet; Usus tamen, penes quem & lex & norma loquendi est, obtinuit, ut nomen partis toti Arti attribueretur. Neque id quidem malè, quandoquidem pars θεραπευτικὴ amplissima cùm sit, ab hac, tanquam potiori, meritò totius Artis fit denominatio. adde quod pleraque ferè, quæ in Arte traduntur, ad benè medendum dirigantur.

III. Medicinæ definitio ab Autore tradit neque imperfecta est, siquidem satis explic[illegible] qualis ars sit Medicina; neque falsa, etiamsi [illegible] tione finis aliquâ opus sit distinctione.

IV. Artem verò esse Medicinam, (ar[illegible] vocabulo tàm generaliter, quàm specialit[illegible] accepto) præter autoritatem *Hippocr. 1. aph[illegible] risim. s. 1. Galen. in Introduct. c. 5. Arist. l. 6. Eth[illegible] c. 4.* & aliorum, multis probari rationib[illegible] potest. Habet enim præceptiones ratione [illegible] experientiâ inventas & confirmatas, sibiq[illegible] invicem consentientes, atque ad hujus vi[illegible] commoditatem maximè spectantes. Præter[illegible] quoque habitus est mentis, qui opus aliqu[illegible] in alio, idque cum ratione verâ rectâque, effic[illegible]

V. Unde illis subscribere haut possumu[illegible] qui in definienda Medicina generis loco Sc[illegible] entiam ponunt, nisi latè accipiant, quod [illegible] *Galenus in* μικροτέχν. *c. 2.* concedit. Satis itaqu[illegible] cautè Autor scientiam κοινῶς, sivè latè dicta[illegible] admittit; neque alii, qui quovis modo scien[illegible] am inculcant, graviter peccant, cum recepti[illegible] simâ distinctione hîc utantur.

VI. Gravius verò illos errare arbitramu[illegible] qui partìm *Scientiam*, (ἰδίως dictam) partìm ve[illegible]

Arte[illegible]

Artem esse Medicinam contendunt, cum vel sola Finis, à quo disciplinarum distinctio petenda venit, accuratior consideratio ita sentientes refutet.

VII. Artium verò censui dum annumeramus Medicinam, absit ut tàm sordidi simus, ut cum nonnullis eam pro sordidâ & illiberali habeamus; quin potius *Hippocrati* subscribentes, πασέων τεχνέων ἐπιφανεςάτην audacter statuimus.

VIII. Neque sacræ Artis præstantiam tollit, quod finem suum non semper assequatur, vel si assequatur, non tàm Arti, quàm Naturæ is debeatur, cùm νούσων φύσιες ἰητροὶ *ab ipso Hippocr. 6. Epid. Com. 5. tx. 1.* pronuncientur: prius enim quod attinet, cum ipsâ hoc Politicâ, Gubernatoriâ Navis, aliisque, quas Rhetoricæ & Medicinæ similes δυνάμεις *Aristoteles* vocat, commune habet, hinc & medicus rectè *occasionum inventor* dicitur; posterius vero cum grano salis accipiendum est, ut suum cuique tribuatur, quâ de re egregiè *Galenus de Constitut. Artis c. 12.*

IX Molesti igitur potiùs quàm accurati sunt, qui Artem nostram merè στοχαστικὴν esse sub-

inde urgent & objiciunt, confundentes quem vis è plebe στοχασμὸν, cum eô, quem prudenti medica suggerit, & quali etiam Politicus, Du belli, orator, aliique utuntur. Benè *Galenus l..* κατὰ τόπ. 1. Adeptâ cognitione morborum & curationem succedere ex indicationibus, in quit, οὐ στοχαστικῶς, ἀλλ' ἐπιστημονικῶς.

X. Subjectum Artis Medicæ Corpus Humanum statuimus, cùm in ejus considerationem omnes Medicinæ partes potissimum versentur; neque nos movent acribologiæ, & rationes quas illi, qui *corpus vivens* substituere amant afferre solent. Pariter & ab iis nos separamus qui, quod ferè eô recidit, *omne sanabile* pro subjecto Medicinæ obtrudunt, quandoquidem hîc non attendimus subjectum universale, sed particulare, cujus necessitati omnes artes famulantur.

XI. Qui verò, præter humanum corpus multas res alias, de quibus in Medicina tractatur, pro subjecto artis agnoscunt, nisi inter subjectum *contemplationis* & *reductionis* probè distinguant, nihil quod calculum album mereatur, afferunt.

XII. Cùm verò Subjectum Medicinæ præ

præ reliquarum artium ſubjectis, hoc habeat peculiare, ut non merè patiatur, ac obſequium præſtet, ſed unà cooperetur, adeò ut & hujus intuitu, nonnulli, licet nihil opis Medicus conferat, ſponte convaleſcant; ſuâ quod dicitur, luce radiat, eos, qui naturam ſubjecti cognitam non habent, hoſtes potius, quàm miniſtros & imitatores naturæ eſſe, qui in genus humanum ſi non planè ſæviunt, ſaltem, quod ille de amicitiis vitreis ait, intempeſtivâ ſuâ humanitate, & importunâ funeſtorum conſiliorum promtitudine miſeros ægrotantes quàm officioſiſſimè occidunt.

XIII. Quando vero non tàm hominem, quàm potius humanum corpus, ſubjectum, atque rem conſideratam hic eſſe per hibemus, id non quovis modo, ſed quatenus *ſanabile* eſt, intelligi volumus: hinc non malè *Autor*; *Medicus*, inquit, *iis affectibus, qui inſanabiles judicantur manum admovere non debet*, *EO FINE, VT CVRET*. Medicus enim συμπράττει τῇ φύσει; ſed nec ipſa Natura aggreditur τὸ ἀδύνατον, teſte *Ariſt. 6. phyſic. 29.* Et ſic ἡ τέχνη μιμεῖται τὴν φύσιν, *2. auſcult. Natur. 2.*

XIV. Suppeditat itaque τὸ *Sanabile* conſide-

ſiderandi modum, Artisque formam Medic[a]
conſtituit. Qui vero medicum non ſolùm co[n]
ſiderare ſanabile, ſed etiam ſanum, hæcque du[o]
differre urgent, cùm ſanabile potentiam, ſ[a]
num vero actum dicat, nobis otiosè arguta[ri]
videntur.

XV. Finem Medicinæ ultimum Sanita[]
tem eſſe, ipſe ſcribit *Philoſoph. Ethic. 1.* nequ[e]
ſibi contrariatur, quando *1. Rhetoric. ad Theodie*
cten, Medicinæ eſſe, *ſcribit*, non ſanitatem in[]
ducere, ſed ad hoc perducere, ad quod poſſibi[]
le eſt &c. Cùm hoc locô non tàm de fine Me[]
dicinæ, quàm potius de Medici officio, loqua[]
tur.

XVI. Sanitatem hîc intelligimus, ff[a]
ciendam per Medicationem; h. e. conſervan[]
dam in ſanis, redintegrandam verò in ægris.
Nec propterea, niſi unus reverâ finis eſt, quam
diu enim quis vivit, ſemper aliquid eſt ſani l[i]
cet æger ſit. Et ita explicari debet, amiſſæ ſa[]
nitatis quoties apud alios occurrit mentio. Du[]
plicem autem facimus finem, reſpectu forma[]
lis diſcriminis, quod ſanum inter & ægrum in[]
tercedit, atque inter Medici officia, quæ ute[r]
que ille exigit.

XVII. G[a]

XVII. *Galenus*, dum *vitæ Custodiam*, Medicinæ finem, *9.M.M.10.* ponit excusari potest; quicquid enim sanitatem, tanquam scopum, sibi propositum habet, id etiam consecutivè vitæ custodiam sibi præfixit, quandoquidem sanitas à vitâ separari nequit. At, qui *pulchritudinem*, impropriissimè loquuntur.

XVIII. Plures equidem dari Medicinæ partes, præter quinque illas, in quas Autor Medicinam dispescit, non negamus; hoc tamen quo minus laudabilis & perfecta hæc audiat divisio, minimè obstare censemus, Eos verò qui cum Avicennâ in Theoreticam & Practicam dividunt partem, minus quidem accuratè loqui arbitramur, cum in ipso Avicennæ placito, unde hæc divisio prodiit, multa desiderari possint, ipsumque adeo fundamentum lubricum planè existat.

XIX. Novam medicamentorum præparationem novæ Artis medicæ Sectæ instituendæ sufficere qui censent, non magis nos habent ὁμοψήφους, quàm illi, qui nullâ ratione humanâ Artem acquiri medicam posse, sed solummodo à DEO inspirari, cum Paracelso inaniter jactant.

XX. Artem medicam, quam non sine ratione

ratione *Hippocrates* longam, dixit, longiore reddere videntur, qui, quod *Lucretius* de *He-clito*, clari ob obſcuram linguam magis int inanes, quam Grajos qui vera requirunt, eſſ volunt. Valent equidem verba ùt numm Sed cùm vita brevis ſit, cui bono ſignifican rerum vocabula reſpuuntur, ut barbara & o ſcura addiſcantur?

XXI. Inter Recentiorum inventa & p cita, ea præprimis placent, quorum uſus in pra ſeſe manifeſtè commendat; hic n. niſi ultima veluti manum illis addat, accidit, ut, ſicuti qu ſtiunculæ illæ ſpinoſæ, ſi nimium tractes, pl pungunt, quàm demulcent, ita novitas hæc, i genioſa quaſi, turbet potius Philiatrorum ing nia, quàm ut juvet.

XXII. Medici officium eſt, ut tutò, celer ter, & jucundè curet. Huic ſatisfaciet, ubi ult ſphæram ſuam, artis fiduciâ, ſe extolli haut p tietur, ſed piâ potius mente voluet: Neque lum eſſe aliquid, qui remedia invenit, & exc gitat, neque illum, qui uſurpat; ſed omn DEUM, auxiliis à ſe creatis & huic fini deſtina benedicendo, unicè perficere: quare

Hujus opem Medicus curans imploret, & æge
Sic Natura ſuas, Arsq; probabit opes.

EXERCITATIO II.

DE

ELEMENTIS AC TEMPERAMENTIS.

I. CUM artis medicæ materia, uti habet, *Galen. Comm. 1. aph. 1.* non ſint lutum, lateres, ligna, lapides, tegulæ, coria, in quibus multis modis, citra cujuſquam offenſam, quid poſſis, experiri licet, ſed corpus humanum, non ſuperficiaria ſaltem, quæ in plerisque aliis artibus ſufficit, ſed accurata ſubjecti requiritur cognitio.

II. Hinc *Autor* non ſine cauſa hujus conſiderationem altius repetit, ipſisque ab Elementis Medicæ artis veluti elementa mutuatur. Medicus enim qui ſcit τὰ οἰκεῖα τῶν τεχνῶν ἑκάστης θεωρήματα τὸ τέλος ὁρίζειν καὶ κρίνειν, uti ſcribit *ad Thraſybul. Galenus c. 28.* non aliam ob cauſam in hominis naturam inquirit, quàm ut eò rectius artem ſuam inſtituere poſſit.

III. Melius autem inſtituere haut poterit quàm ſi ipſius ſubjecti medici principia ſibi

probè cognita reddiderit. Tantum abeſt, ut q
Elementis in Medicinâ quæ proponuntu
fruſtrà ſint. Neque hanc ſolummodo pr
ſtat utilitatem Elementorum in arte noſt
conſideratio, accedunt & aliæ. Sic enìm di
cilis æquè ac neceſſaria de Temperamentis tu
generalis tùm ſpecialis doctrina, quatenus ſe
ad humores, partes, ſpiritus, cibos, potus, ac m
dicamenta applicatur, plenius faciliusque pe
cipitur. Quin & ipſa ſanitas & ægritudo par
um, ut vocant, ſimilarium, perceptâ element
rum natura & conditione, longè melius inte
ligitur.

IV. Differt tamen medica element
rum conſideratio à Phyſicâ, & in *materiâ*, & i
Formâ, & in *Fine*. Tota enim hæc tractatio a
Humani Corporis conſtitutionem reſtring
tur; neque tam prolixè tamque ſpecialiter, u
in phyſicis fit contemplationibus, de eleme
tis hîc diſſeritur, ſed talis tantum inſtituit
contemplatio, quæ ad ſubjecti cognitionem, a
ad finem, qui ποιητικὸς effectivus eſt, conſeque
dum ſufficere poteſt. Quod & Autor innu
dum inter *abſolutam* & *reſpectivam* element
rum conſiderationem diſtringuit.

Scri

V. Scribit autem *Galenus l. 1.de Element. c. 1.* elementum esse minimam rei, quam constituit, portionem; vel, ùt *idem l.d.de placit. Hippocr. & Platon. c.2.* loquitur, minimam partem ejus rei, cujus elementum existit. Cui cum *Autore* subscribimus, quandoquidem per τὸ minimum nihil aliud intelligitur, quàm primum & naturâ simplicissimum, in quod alia dividuntur, ipsum autem in ea, quæ specie differunt, dividi non potest. Ut ita, quoad sensum, cum Aristotelicâ definitione elementi, quæ *l. 3. de cælo c. 3.* extat, Pergamenus noster planè concordet.

VI. De Elementorum Numero Physicorum tot ferè sententiæ, quot capita sunt; sed Medicus hîc cogitet illud Comici: *Ne quid nimis!* Unicum non esse tantùm elementum, satis accuratè & efficaciter probat *Hippocr. lib. de Natur. hom.* & propterea etiam â *Galeno l. 1. de element. c. 2.* valdè celebratur. Neque vero infinita esse posse, mixta corpora finita apertè docent. Quaternario nos, cum *Autore*, subscribimus numero, moti argumentis, quibus tum *Hippocr.* d. l. tum *Galenus* l. 1. de element. c. 15. utuntur.

VII. Quibus vero placet, repudiatis ele-mentis, (quæ *Cous* ſæpè per *calidum*, *frigidum* &c. innuere conſuevit) ad *ſal*, *ſulphur*, *& mer-curium* confugere, illos ſinimus ſuo abundan ſenſu: cùm plerumq; non tàm re, quàm verbo veterum à doctrinâ diſtent: interim noſtra ſen-tentia eſt, non tàm principia eſſe, quàm princi-piata, utpote in quibus elementa ipſa domina-tum ſuum habent, & quorum deſtructio in ele-menta deſinit.

VIII. Temperamentum ſunt qui ſub-ſtantiam eſſe, vel ſaltem ex ſubſtantiis derivari contendunt, ſed accidens potius, & quidem qualitatem eſſe, ex mutuâ qualitatum prima-rum actione & paſſione ortam, ſolidior ratio evincit. Anima(medica)aliis dicitur Tempera-mentum ad imitationem Galeni, ſed præſtat ab hoc loquendi modo abſtinere, ùt ùt τρόπ ἐπιστήμης excuſari poſſe videatur.

IX. In homine, cujus gratiâ hæc præci-puè dicuntur, merito dubitatur; an detur Tem-peramentum ad pondus? cum nequidem in rerum dari naturâ videatur; tantum abeſt, ut quis perfectiſſimas ab eô operationes expectet. Interìm in doctrinâ de Temperamentis locum

inve-

invenit quoque, ut Temperamentum ad justitiam rectiùs intelligatur.

X. Cæterùm *duplex* in homine temperamentum occurrit, *unum quà corpus* ex elementis simpliciter mixtum habet, *alterum quà est vivens.* ubi se iterum magna sistit temperamentorum varietas, quæ partim *à causis* tàm *constituentibus*, quàm *commutantibus*, ùt *sanguine*, & *partibus principalioribus*, illisque vel *internis*, tùm *immediatis*, tùm *mediatis*, vel *externis*. ùt ab *influxu astrorum*, *rebus* vulgò dictis *non naturalibus*, *Sexu*, *Ætate*, *Regione*, *vitæ genere* &c. quorum omnium consideratio eô accuratior esse debet, quò maiorem in foro practico utilitatem secum affert.

XI. Calor qui ad temperamentum animalium refertur, alius ut *insitus*, alius ùt *influens* considerari solet; Ille origo vitæ, seu immediatum ipsius animæ organum est, quô ad functiones naturales exercendas utitur: Illius vero fons & suscitabulum in animali cor est, quod ipsum sui motu, qui ab insita s. innata facultate perficitur, per se incalescit, & veluti factâ quadam fermentatione sanguini calorem communicat, qui quòd unà cum sanguine per

arterias in totius animalis œconomiæ recessu dimanet, influens vocari suevit.

XII. Respectu exactissimæ, quæ generi humano convenit, temperiei, alia eôdem in genere *calida* est, alia *frigida*, alia *humida*, alia *sicca*. Cùm vero rarò aliqua temperies simplex existat, pro diversitate qualitatum elementarium prædominantium alia *ignea*, *aquea* alia &c. dicitur; imo per analogiam ab humoribus qui corpori inesse deprehenduntur, vocatur temperies vel *sanguinea*, vel *biliosa*, vel *pituitosa* vel *melancholica*.

XIII. A Planetis verò quæ denominantur temperies, à nobis equidem non rejiciuntur, cùm hæc inferiora à cœlo variè mutari certum sit, totque planetarum & animalium cum peculiaribus astris consensus, ac insignes illæ in corpore humano, pro variis siderum aspectibus, mutationes id evidenter satis doceant; Verum sano omnia sensu accipi debere, nec tàm ad vulgarem de Temperamento doctrinam tollendam, quàm potius eam explicandam, specialiusque determinandam, talia producenda censemus.

XIV. Ætates temperie potius, quàm anno-

annorum ſpatio, definiendas eſſe, exinde patet, quod non tàm ab hoc, quàm ab illâ dependeant.

XV. Benè *Hippocr. de Diæt.* Quò unumquodque generationi vicinius eſt, eò humidius & calidius eſt. Id quod de temperie illa juſtâ, quæ homini debetur, intelligi debet. Cur ergò primis annis non robuſtiſſimi & prudentiſſimi ſumus? Obſtat humiditas materiæ: robori quidem illa, quæ in oſſibus ac muſculis, prudentiæ autem illa præſertim, quæ in cerebro eſt.

XVI. Humiditate ſenſim abſumtâ, idque beneficio calidorum elementorum, ex neceſſitate quoque aliquid humoris illius, quem calor nativus pro ſubjecto habet, abſumitur, fitque ex miti & vaporoſo, acris & fumoſus, (ξυρ.ν vocat Hippocrat.) atque hinc differentia illa caloris, in pueris & adoleſcentibus, fluit, quâ de fusè *Galen. Comm. 1. aphor. 14.*

XVII. In uno eodemque individuo, pro anni partium varietate, temperamentum diverſimodè conſtituitur: vere enim ſanguis; æſtate bilis; Autumno Melancholia; & Hyeme pituita dominatur; quæ conſideratio non leve in praxi pondus habet.

Pari-

XVIII. Pariter & ſingularum C. H. pa-
tium temperamentum noſſe, magnum in con
ſervandâ ſanitate æque ac curandis morbis mo
mentum obtinet. Quò pertinet & ἰδιοσυγκρασί
ſubjecti, cujus exactam cognitionem, utpo
difficilimam, non niſi Æſculapio *Galen. 3. m. m*
7. Apollinique concedi ſcribit.

XIX. Totius quidem corporis Tempe
ries, ſi *abſolutè* conſideretur, *calida* & *humida*
eſſe meritò cenſetur; factâ tamen *comparatione*
in toto, partes aliæ *calidæ*, aliæ *frigidæ*, aliæ *hu-
midæ*, aliæ ſiccæ rectè dicuntur; Atque in ha
comparatione Cutis, veluti norma quædam
conſtituitur, præſertim quæ eſt in volâ ma-
nûs, & pulpa digitorum, quippe quæ maxim
temperata deprehenditur.

XX. Cum igitur in Humano Corpore
tot modis mutari temperamentum poſſit
non ſine ratione monet *Autor*, cautè pronun-
ciandum eſſe, ne *adſcititium* pro *nativo*
habeamus, & ab externis acci-
dentibus decipia-
mur.



EXERCITATIO III.

DE PARTIBUS HUMANI CORPORIS, EARUMQUE ACTIONIBUS.

AD partes Corporis humani, (non hominis, quà homo eſt,ſed) quantitativas, adeoq; extra invicẽ ſitas, nos deducit *Autor*, ut videamus, quid ſint? & quos *uſus* atq; *actiones* in commune conferant? Ordinis rationem ipſemet exponit, in quâ etiam acquieſcimus.

II. Equidem magna definitionum Partis varietas apud Antiquos occurrit, quæ nullô inter ſe modô cohærere videntur; Hinc etiam nonnulli, partem nullâ definitione rectè definiri poſſe, ſtatuunt, quibus tamen ſubſcribere nondum poſſumus, cùm certum ſit, diverſum concipiendi modum, ex parte concipientis, rei concipiendæ identitatem minimè tollere.

III. Neq; nos movent, qui partem, re-

ſpectu partium, quæ in homine ſunt, æquiv cum eſſe, adeoq; unicâ definitione explica haut poſſe, urgent; ſiquidem diverſa accepti intentioque definientis hunc ſcrupulum f cili negotio eximit.

IV. Definitionem partis, quam *Ferneli* tradidit, cum *Autore* quidem probamus: int rim nec eorum ſententiam fundamento car re arbitramur, qui non minus eam quoqu quam *Hippocrates*, *Galenus*, atq; *Ariſtoteles* n bis tradidêre, ſatis exactam judicant, cùn æq; ac illa, 1. Tò cohærere toti, 2. vivere vitan 3. functionem præſtare &c. innuat, ſeu ſubi tellectum habeat.

V. Quæ de *Calido innato*, & *Spiritu infl ente*, ex veterum doctrinâ, recenſet *Autor*, firm ſtare etiam nunc talo, & plus docere, quàm co fundere judicamus; quâ de re *præcedenti Exer* quædam inſeruimus, quibus hæc jam place veluti ſuperpondium adjicere: Solum ſangui nem (propriè & accuratè loquendo) non eſſ calidum innatum, ſed ſpiritus à ſanguine di ſtingui, & ſeparatos ab eodem in corpore hu mano reperiri.

VI. Neq; obſtat, quod ſanguis ſine ſpirit au

ut calore verus ſanguis non ſit, quandoqui-
lem hoc eum genio non defraudat noſtra
ententia, quæ potius Spiritum animalem in
erebri ſubſtantiâ alibiq; â ſanguine ſecretum
eſpicit.

VII. Quemadmodum verò *Calidum In-
atum* in ſolidis dari partibus ſimilaribus aſſe-
imus, ita quoq; *Humidum* illud oleoſum &
ingue, quod *Primogeneum* vocatur, tantum
beſt, ut cum nonnullis fabulam credamus, ut
otius pro proximo *ſpiritus inſiti*, veluti flam-
nulæ cujusdam vitalis, pabulo habeamus;
abulo inquam impropriè quidem dicto, veluti
tidem impropriè *Flammula* iſta vivere dicitur.

VIII. Elementaris naturæ eſſe cenſemus
alidum Innatum ; ut ut, coſiderando nobi-
es, quibus inſtructum eſt, virtutes, & operatio-
nes quas edit, haut adeò malè ἀνάλογον τῷ
ῶν ἄστρων στοιχείῳ cognominetur.

IX. Licet ſemen atq; ſanguis partium
iventium principia dicantur, tamen, quæ à
Veteribus de partibus *Spermaticis* exinde propo-
nuntur, niſi commodè explicentur, cum ve-
itate pugnare nobis videntur.

X. Pervetuſta partium H. C. diviſio in

 Humo-

Humores, Spiritus & *Partes Solidas* cum magna[illegible] in Medicinâ utilitatem habeat, merito retin[illegible] tur, non obstantibus iis, quæ tum circa *Spiri[illegible] tus*, tùm circa *Humores* à variis variè move[illegible] tur.

XI. Quemadmodum enim *spiritus* rec[illegible] afferi innuimus; ita quoq; *Humores* corpor[illegible] nostri *alimentitios primarios* v. g. *sanguinem* *bilem, pituitam &c.* nomina inania non esse immo & doctrinam de humoribus *secundari[illegible]* ut vocant, adhucdum stare posse, & circulatio[illegible] ni sanguinis minimè adversari, affirmamus.

XII. Quæ verò de *Humoribus p. n.* e[illegible] veterum doctrinâ afferuntur, difficulta[illegible] non carent; quia ipsa eorundem invicem transmutatio, irrita esse ea monstrat, quæ de *numero* & *distinctione* humorum p. n. vulg[illegible] docentur.

XIII. Optima nobis judicatur *Galeni* di[illegible] visio, quâ humorum vitium duplex constitu[illegible] it, *Plethoram* & *Cacochymiam*, in quâ Medicu[illegible] acquiescere potest, non obstantibus Chymico[illegible] rum principiis, ac totuplicibus fermenti[illegible] quippe quæ reverâ istis omnibus subjacere, ne[illegible] nisi accidentis rationem obtinere, res ipsa lo[illegible] quitur,

XIV.

XIV. Cum omnis ſanguis omniſq́; calor ex *Corde* per arterias exeat, per venas verò redeat, omnisque chylus per lacteas thoracicas ad Cor abeat, & mox in ſanguinē manifeſtè tranſmutari conſpiciatur, rectè *Hippocr.* & *Ariſtot.* τȣ͂ αἵματος τε καὶ θερμȣ͂ πηγὴν dixêre τὴν καρδίην, ipſiq́; meritò primarium αἱματώσεως munus, honosque, tanquam principaliſſimo contentorum, aſſignatur.

XV. Primarius *Cerebri* uſus eſt, dare partibus ſenſum, ac motum, ad quas actiones animales ritè obeundas, opus eſt, ut ſanguis aliter ſe in *Cerebro* ac *Corde* habeat, id quod ſigna etiam & effectus loquuntur quippe quibus ſanguinem in Cerebro frigidiorem ac ſicciorem, tenuiorem, lucidiorem, vitalique quietiorem eſſe, manifeſtè oſtenditur.

XVI. Jecur quaſi *juxta cor* dum dicitur, ad vitam, & nutritionem ſeſe plurimum quoque habere ponderis innuit; Quâ ratione verò id præſtet, illi adhuc quibus hoc curæ eſt, diſſentiunt; Qui *depurationem, bilisq́;* & *humiditatum aquoſarum ſeparationem* primariam muneris Hepati dicati partem volunt, nobis proximè ad verum accedere videntur.

XVII. *Teſtes* non immeritò partibus principalibus addit *Galen.* μικροτέχν. c. 9. Interim, dum plures adhuc partium differentias, *figura*, *Numerus*, *Officium*, *Finis &c*, ſuppeditant, cogitandum ſubinde eſt illud *Hippocratis*: ξύῤ-ῥοια μία, σύμπνοια μία, καὶ συμπάθεα πάντα,

XVIII. Ab organorum diverſitate actionum deſcendit varietas: *Galenus* partium principalium naturam, functionem & ſedem intuitus, in *Naturales*, *Vitales*, & *Animales* diviſit, eſtq; vulgatiſſima & antiquiſſima hæc etiam apud medicos diviſio, quæ vel propterea retinenda nobis videtur, quò in veterum & Galenicorum lectione felicius progrediamur: ut ut aliàs accuratius ſecundum recentiores divid. actiones non eamus inficias.

XIX. *Animæ* verò hujusque *Facultatum* conſideratio hîc planè negligenda non eſt, cùm omnium actionum & operationum in corpore noſtro cauſa præcipua ſit Anima, facultatibus ſuis inſtructa ; ut jam non dicamus, Medicum in quibusdam morbis curandis, curas ſuas ut ad hanc ipſam quoq; dirigat, maximè teneri.

XX. *Nutritio* licet toto duret vitæ tempore

pore, tamen id non obſtat, quò minus feriæ ejus aliquæ dari queant. *Hanc* nonnulli cum *Generatione* unum idemque eſſe dicunt, ſed, niſi benignè admodum horum explicetur ſententia, nulla eſt.

XXI. Non chylum (quem ſucceſſivè ex ventriculo excidere docet experientia) ſed ſanguinem, eumque arterioſum (à quò tamen venoſus non niſi accidentaliter differt) tàm Ventriculi, quàm reliquarum partium nutriendarum, ultimum alimentum eſſe ſtatuimus.

XXII. Licet tanta *Reſpirationi* cum *Pulſu* intercedat affinitas, ut Pulſus veluti quædam eſſe Reſpiratio *Antiquis* viſa fuerit, tamen eundem utriusque uſum eſſe, meritò negamus, poſtquam, inventâ ſanguinis circulatione, verum & genuinum pulsûs uſum accuratius cognoſcere datum eſt.

XXIII. In *Animali Motu* peragendo cauſarum Efficientium rationem habent *Anima* ſeu *Facultas motrix*, *Spiritus*, ac *Muſculus*; quæ quidem in neceſſariâ ſubordinatione tali inter ſe nexu cohærent, ut earum unâ aliquâ abſente, motus animalis minimè procedat.

XXIV. Neque enim eſt, ut quiſpiam cre-dat, à partibus ipſis formatis per ſe ejusmodi motus pendere, vel à partium harmoniâ eo-dem promanare, abſque Animâ dirigente. Benè *Galen. 1. V. P. 3. omne animal*, inquit, *& ſuæ ipſius animæ facultates, & in quos uſus partes ſuæ polleant, nullo doctore præſentit.* Tantum abeſt, ut corporis particulæ animam impellant, eamque vel timidam, vel ſtrenuam, vel ſapi-entem efficiant.

XXV. Licet autem hæc ita habeant, tamen eorum ſententiæ calculum adjicere non poſſu-mus, qui ipſam *Animam*, quacunque ſede commorantem, aut *motricem facultatem inſi-tam* in ipſis organis, inſtar magnetis, muſculos impellere urgentes, omnem *ſpirituum anima-lium influxum*, veluti nullum, repudiant; illi quidem muſculis vigorem illum animalem, quô demum apti ad motum redduntur, non, niſi vivido ſpirituum dictorum influxu per nervos obtingere perſuaſum habemus.



EXERCITATIO IV.

DE SANITATE CORPORIS HUMANI.

I. POstquam, quid partes sint, & quid s. n. agant, vidimus, non incommodè nunc, cum *Autore*, in principium illud, cujus respectu benè agere illæ dicuntur, inquirimus.

II. Tale autē principium est *Sanitas*, Artis Medicæ finis ultimus, ad quem omnia diriguntur, cujus etiam gratiâ præcedd. Exercc. præmissæ sunt.

III. Quid vero sit Sanitas, & in quô ejus consistat natura, non est eadem Medicorum sententia: Quidam, cum *Galeno*, per *potentiam corporis actiones exercendi naturales*; alii per *constitutionem corporis sive partium ejus viventium naturalem &c.* cum *Eodem* definiunt. Dantur etiam, qui sanitatem extra prædicamenta ponunt, eamque *Quietem* aut *gradum*

quendam vitæ pronunciant, *ex problem. Aristot.* & *l. 1. de loc. aff. Gal.* sed utrosque non minus quàm eos, qui sanitatem *Ens multiplex* & *aggregatum*, vel etiam *substantiam* esse statuunt errare arbitramur.

IV. *Autori* placuit definire ex *Galen. 1. M. M. 7.* per *dispositionem* C.H. quâ, propter *justam similarium temperiem, dissimilarium conformationem, & utrarumq; unionē, promti sumus ad omnes operationes perficiendas*: Cui definitioni, cùm naturam & subjectum sanitatis non solùm dilucidè ostendat, sed etiam Medici actionibus maximè subjecta sit, & utiles indicationes commodè suppeditet, meritò subscribimus.

V. Qui v. sanitatē *Harmoniā, proportionē*, συμμετρίαν, & *Relationē* esse volunt, non sufficienter ejusdem naturam & essentiam enucleare videntur, ut ut aliquid tale ipsi inesse haut eamus inficias.

VI *Dispositionem* hanc unam eandemque esse, partium diversitas in definitione expressa, minimè admittit, quin imo ipsi sensus hoc impugnant; aliter siquidem se se habent partes *similares*, aliter *dissimilares*, nec tamen inde plusquàm una elicienda est sanitas, cujus latitudo,

tudo eam quoq;, quam *neutram* appellavit *Herophilus*, ſub ſe comprehendit.

VII. Hanc ipſam ſanitatis latitudinem admittendam, tanta temperamentorum, ætatum, ſexûs, vitæ generũ &c. varietas; & quæ aliâs neceſſariò introduceretur ἀεὶ πάθεια, non obſcurè innuit.

VIII. *Subjectum* ſanitatis quodnam ſit, innuimus; Cùm verò partes humani corporis viventes à plerisque hîc adducantur, illæque juxta *Hippocratem* ternario ſe ſiſtant numero, ſintque *Humores*, *ſpiritus*, & *partes ſolidæ*, quibusnam potiſſimum ſubjecti ratio adſcribenda veniat, non æquè inter autores convenit.

IX. Sit cuique opinioni honor ſuus; interim, cum uſus in Medicorum ſcholis hactenus obtinuerit, ut ſolidæ partes κατὰ προςασικὸν viventes corporis partes & conſequenter ſanitatis ſubjectum magis adæquatum definiantur, placet receptæ huic ſententiæ eô lubentiùs ſubſcribere, quô in ſolidis partibus triplex illa diſpoſitio accidentalis, per quam naturalis iſta potentia ſuas exercet actiones, evidentior atq; ſenſibilior occurrit.

X. Ad partes verò *contentas* & *impe-*

tum facientes, sive *Humores* & *Spiritus* quod attinet, in hisce sanitatis sæpius quoque *Causas* consistere censemus.

XI *Caussa sanitatis*, alia *Formalis*, alia *Materialis*, alia *Efficiens*, alia *Finalis* est ; harum omnium habere notitiam Medicus debet, tàm ut benè cognoscat, quàm etiam ut laudabiliter curet.

XII. *Materialis* causa sanitatis sunt partes corporis Humani; *Finalis* est ipsa actionum integritas, aut sanitatis, uti alij volunt, possessio; *Formalis*, est anima suis facultatibus instructa ; *Efficiens* denique & *Instrumentalis* alia intrinseca, ut *temperamentum*, *organisatio*, & *unitas* : *extrinseca* innuitur per ea, quæ *assumuntur*, *geruntur*, *excernuntur*, *retinentur* & *foris nos ambiunt*, res sc. vulgò *non naturales* dictæ : de plerisque ferè nonnulla inseruimus, pro ratione instituti, quibus seqq. adjicere operæ pretium ducimus.

XIII. De *A*nimâ, ejusque facultatibus, atque operationibus quæ in parte Medicinæ physiologicâ à quibusdam fusè proponuntur, non solùm non superflua, sed maximè utilia judicamus; quandoquidem ex hac doctrinâ

pluri-

plurima elici possunt, quæ in instituendâ prognosi Medicum veluti in rem præsentem ducunt, famæ ejusq; egregiè consulunt.

XIV. De Temperamento in præcedent. Exerc. 2. dictum; ad quod & *Hippocrat.* τὸ Θεῖον referimus, agnoscentes in mixtis non paucas proprietates, quarum causa genuina nos omninò latet. Sed prius omnia excutienda, quoad licet, quàm ad hoc asylum confugiatur, judicamus.

XV. Dissimilarium partium dispositio seu *Compositio*, actionum illarum causa, consistit 1. in *legitimo partium componentium numero*, 2. *debitâ conformatione*. 3. *decenti magnitudine*, & 4. *situ & connexione justis*.

XVI. Tàm *Similaribus* quàm *Dissimilaribus* partibus communis est *Vnitas*, quæ licet magnam cum *connexione* affinitatem habeat, nec nisi λόγῳ ab eâ discrepare nonnullis, vel ipsius Galeni suffragio, videatur: non incommodè tamen inter *continuitatem* & *contiguitatem* hîc distingui, atque *cohærens* â *Compositione* dirimi ab aliis censemus, cùm ita ordini & doctrinæ non parùm consulatur.

XVII. Qui ex causarum numero tertiam

tiam hancce conſtitutionem rejiciendam pu-
tant, id imprimis urgent, quod ab unitate pe-
culiaris actio non exerceatur : Verùm, ſi pe-
nitius introſpiciatur, utiq; ſuum quoque ſym-
bolum conferre Unitatem conſtat: quit enim
ea aliud in parte facit, quàm ut inegram il-
lam & continuam conſervet, quâ ſervatâ tàm
ſimilares quàm *diſſimilares* partes ſuo rite offi-
cio defunguntur. Atq; hic nexus triplex adeô est
indiſſolubilis, ut læſo uno dictarum cauſarum
genere, ſi non ſtatim alterum, immò reliqua
corruant, ſaltem diu permanere haut poſſint.

XVIII. Ad Efficientis cauſas nonnul-
li etiam referunt Res non naturales, uti Th. 12.
innuimus ; neque id malè, cùm illis non mi-
nus indigeant ſani, quàm ægri : ſed diſpar ratio
hîc obſervanda eſt, quæ diverſa illis æquè ac a-
liis, quæ conſiderantur, rebus loca aſſignare
ſolet,

XIX. Dilucidior illa earum eſt diviſio,
quâ in ſex claſſes, recepto hactenus more,
diſpeſcuntur, & primam *aër*, ſecundam *cibu*[s]
& *potus &c.* occupat ; Quamvis nihil prohi-
beat, quo minus res ipſæ, prout cauſæ vicem
ſubeunt, diverſimodè conſideratæ, mo-
di

do hanc modo illam ingredi classem valeant. De singulis nunc pauca quædam saltem afferemus, reliqua in aliam *Exerc.* differemus.

XX. *Aër* ζωοφόρος meritò agmen ducit, τὶ γὰρ ἄνευ τούτου ἢ τίνος οὗτος ἄπεστιν, tutissimaque sanitatis pars, haurire spiritum purum, non turbidum: ut non malè in aëre occultus vitæ cibus statuatur.

XXI. *Cibus* & *potus* non minùs præstans symbolum hîc conferunt, dum desiderio, quod fames sitisque inducit, satisfaciunt; hinc tam diu vivimus, quàm diu nutrimur.

XXII. *Somnus* & *Vigiliæ* quantum ponderis habeant ad sanitatem, res ipsa loquitur: ut non sine ratione, ἀγαθὰ pronunciârit *Senex Cous*, *si modum non excesserint.*

XXIII. *Motus* & *Quies*, si moderatè habeant, pariter se commendant, verumque esse ostendunt illud *Hippocr. Sanitatis studium est, haut satiari cibis, & impigrum esse ad labores.*

XXIV. *Excretorum* & *Retentorum* classis in specie περὶ τὰ τῆς τροφῆς in primâ, secundâ & tertiâ coctione respicit, ut quæ oneri sunt, eliminentur &c.

XXV. Coronidem imponunt *Animi*

πα-

παθήματα, quippe in quorum temperie, moderato ſtatu animi tranquillitas & corpor[is] ſanitas omninò conſiſtit. Nullum ſiquide[m] violentum diuturnum; amatq́ue imprimis N[a]tura illud μηδὲν ἄγαν!

XXVI. Tandem etiam ea, quæ ſanitate[m] conſequuntur, & τῶν συμβεβηκότων nomine an[]tiquitùs expreſſa inveniuntur, huc referri d[e]bent. Sunt verò Effectus, ex ſanitate, hujus[q;] cauſis, veluti fonte, promanantes, qui dum [] utriusq́ue ſtatu hoc modo ſimul atteſtant[ur] *ſigni* pariter rationem eos ſubire conſtat.

XXVII. Commodè verò hi *Effectus* jux[ta] principia, à quibus deſcendunt, in *primos* v[el] *immediatos*, & *ſecundos* vel *mediatos* dividunt[ur]. *Illi* ſunt, qui immediatè à Facultatibus pr[o]cedunt, ùt omnis generis actiones *vitales*, *ani*-*males &c. hi* verò, qui ad ipſa etiam objecta ſeu materiam circa quam ſe extendunt, prio[]resq́ue inſequuntur, ac diſtinctionis gratia *opera*, & *producta naturæ* nuncupantur.



EXERCITATIO V.

DE MORBO, EJUSDEMQVE DIFFERENTIIS

I.

CUm, ut rectè *Galen. l. de Ossib. ait in init.* Medicum prius cognoscere oporteat id, quod est secundùm naturam, deinde, id quod præter naturam, sitque rectum regula sui & obliqui; convenienter nunc, absolutâ φυσιολογικῇ parte, ad παθολογικὴν fit transitus.

II. Equidem, non simpliciter omne, quod est *præter naturam*, lædere, concedimus; tamen otiosam illam putamus ἀκρίβειαν, quâ inter res *præter* & *contra* naturam tàm sollicitè distinguitur, cum ipsi antiquiores Medici *Græci* unica voce παρὰ φύσιν utantur, quam *Latini* nunc *præter*, nunc *contra naturam* vertunt.

III. Neque culpandus est *Autor*, quo
Sanitati & *Morbo* peculiares tribuerit disputa-
tiones; liberum enim unicuique est, an de
morbo in specie acturus, juxta illud: *contrari*
sub eodem genere &c. sub uno titulo de hujus
naturâ & sanitate tractationem instituere, an
aliter velit: quandoquidem, etsi separatim tra-
ctentur, non minus ista contrarietas salva per-
stare potest.

IV. Qvamvis autem inter Morbum &
Sanitatem propriè dicta contrarietas haut spe-
ctetur, propterea quod contrariorum horum
unum non tollat alterum, ampliorque multo
sit morborum familia sanitatis latitudine, in
eô tamen, quatenus ambo sunt corporis affe-
ctiones, ob quas μόρια seu partes usus & actio-
nes suas vel integrè & perfectè, vel minùs ede-
re valent, non immeritò sibi invicem oppo-
nuntur; nihilque impedit, quò minùs tali
contrarietas *genus*, *subjectum*, & *causas* susti-
neat.

V. Qui in Ideâ præternaturali, à turbu-
lentâ Archæi tempestate exurgente, essentia-
lem morbi quidditatem constituunt, licet in-
geniosè magis sublimiusque, quàm Galenici

tem

rem explicare videantur, eam tamen multis involvunt difficultatibus, nec rarò morbos cum immediatis eorum causis confundunt.

VI. Hinc Morbum, qui quasi μοίρα τις dicitur, non nisi abusivè *substantiam* dici statuimus, adeoque *accidentibus* potius adnumeramus.

VII. *Relationem* qui pro morbi genere venditant, nisi *secundùm quid* hoc intelligi velint, nos non habent ὁμοψήφους: neque enim morbus *Galeno* simpliciter ἀμετρία est, sed qualitas quædam ἄμετρος, in quâ (non verò in merâ relatione) morbi essentia consistit.

VIII. Illis verò qui morbum nil nisi *sanitatis privationẽ* esse volunt, concedimus equidẽ, aliquam privationẽ hîc adesse, verùm non *negativam* vel *puram*, sed *impuram*, h. e. talem, quæ adhuc aliquid de habitu opposito, nempe de potentia naturali relinquit.

IX. Sunt qui ad *passionem* morbum referunt, idq; propterea quod in receptione doloris consistat, verùm malè; quandoquidem non est talis passio, quæ in actionis receptione consistit.

X. Quando *Autor* cum *Galeno* morbum dicit

dicit esse διάθεσιν παρὰ φύσιν ἐνεργείας ἐμποδιστικὴν πρώτως; vox διαθέσεως constitutionem innuit, atq; causalem facit definitionem: interim neque illos errare putamus, qui morbum per *impotentiam*, (si præsertim morbum & symptoma conjunctim sumant) definiunt.

XI. Evidens functionum læsio accommodata subjecto, universaliter Morbum à Sanitate disjungit, particulariter τὸ ὀρθοστάδιον.

XII. Cum contrariorum idem sit subjectum, quodnã morbus subjectũ occupet, ex iis, quę de sanitate diximus, facile est colligere; nempè *partes Corporis Humani viventes*, quas in *continentes contentas* & *impetum facientes* divisit *Hippocrates*, ubi tamẽ *solidis* ceu *continentibus* (quippe quarum operâ, quas nos proprie actiones corporis viventis esse volumus, perficiuntur) principatum non invideri debere censemus.

XIII. Et sic quidem Recentioribus, dum *Humores* & *Spiritus* pariter corporis partes viventes adeoque subjectum morborum esse urgent, minimè contrariamur, dummodo nobis concedant, solidas partes, uti benè quidam loquitur, humorum & spirituum in nobis linguas & interpretes existere, sicque taciti

quo

quod in præcedenti thesi innuimus, sibi vendicare.

XIV. Caussam morbi in genere considerati supra notavimus, estque illa ipsa διάθεσις παρὰ φύσιν, in definitione locum generis sustinens: ex hac fluit actiones exercendi impotentia, quę formam morbi repræsentat, dum enim partium structura vitiò laborat, actus secundus cessare cogitur.

XV. Hæc verò constitutio p.n. non *essentialis*, sed, uti dictum, *accidentalis* est; neque enim statìm ac pars aliqua calidior, vel frigidior redditur, in numero, magnitudine &c. deficit, vel excedit, atq; communis unitas dissolvitur, vivere desinit, aut materia interit, sed alteratur solummodo secundùm hæcce accidentia, quæ non ipsa mors, sed saltem morbus excipit.

XVI. Tàm illi, qui pro occasionali causâ *structuram & dispositionem* acceptant, quàm isti, quibus *materiæ subtili*, vel etiam *Sali, Sulphuri & Mercurio, Archæo & Spiritibus*, principatum adjudicare placet, eandem cum *Hippocr.* & *Galen.* morbi & causæ naturam, (uti jam dùm superius innuimus,) indigitant, licet terminorum transpositione & novo excogitatorum no-

minum apparatu inſtructi rem novam adferre videantur

XVII. Morborum quidem *differentias* à variis peti poſſe conſtat; interim uſitatior illa diviſio, quâ in *Eſſentiales* & *Accidentales* diſpeſcuntur, ceu magis medica, meritò retinetur.

XVIII. Quæ de morbis *Materiæ* à nonnullis afferuntur, peregrinâ vocis materiæ acceptione laborant, & alioquin ad morbos organicos, vel ad cauſarum ſymptomatumque claſſem reduci poſſunt.

XIX. Eſſe tamen morbos ὅλης οὐσίας, & occultos, facilè largimur, & ipſa id remedia, quibus tolluntur, evincunt; verum non debent confundi cum morbis Formę, quibuſcum nobis nihil eſt negotii, qui non tam aſtralia & cœleſtia hîc, quàm elementaria, ipſiusque ſubſtantiæ modum reſpicimus.

XX. Sufficiunt quatuor illa morborum organicorum genera, quorum Autor mentionem facit, ut ut ſubdiviſiones hic admitti quoque debere conſtet.

XXI. Quibus tamen partium organicarum vitia ad *ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, quietem motum & locum* reducere placet, il-

illos novitas potius, quàm docendi commoditas movere videtur, quandoquidem ἐξοπερικλῶ hanc diſtinctionem non tam claram, neque ad docendum ſatis aptam eſſe, res ipſa loquitur.

XXII. An color in oculo ſit morbus, & qualis? multi equidem docere laborarunt, ſed non omnes æque feliciter. Nobis eorum placet ſententia, qui pro morbo quodam conformationis habent, æquè ac aſperitas, vel lævitas, ſi in quibuſdam partibus p. n. reperiantur, & actiones lædant, inter morbos, nemine contradicente, recenſentur.

XXIII: Cæterùm ad *differentias* quod attinet *accidentales*, harum quoque curam Medico maximè commendatam eſſe debere, exinde non obſcurè liquet, quod *quantitatem, qualitatem, tempus, locum*, &c. tàm auxilii, quàm materiæ ejuſdem utiliſſimè determinent.

XXIV. Morbos, qui cum cauſſa vel ſymptomate aliquô graviore conjunguntur, compoſitos nec eſſe, neque dici debere cenſemus.

XXV. Congeniti proprie ſunt hæredita-

rii ob vitiosum semen vel sanguinem; illi vee rò, qui à causâ aliâ vel intrinsecâ vel extrinsecâ sub primo in lucem ortu partui fuêre commu nicata, impropriè hæreditarii dicuntur.

XXVI. Licet venenum, more conta giosorum morborum contagium suum trans fundere possit, tamen non statim morbus pe stilens & venenatus atque contagiosus unum idemque sunt.

XXVII. Non confundi debet affectu συμπαθικὸς cum ἰδιοπαθικῷ, siquidem plan diversos esse, utriusque natura satis indicat; συμ παθικὸς ablatâ causâ nunquam subsistere potest ἰδιοπαθικὸς verò persistere adhuc valet, etiam si causa & morbus sublati fuerint. Ex qu patet συμπαθικὸν ἰδιοπαθικῷ multò latiorem esse.

XXVIII. Plures adhuc morborum diffe rentias supeditant principia Chymica, Carte siana, Motus sanguinis, Fermentatio, Succ cus biliosus, lixiviosus, pancreaticus, succu nervorum nutritius &c. & quid non? Verùm cum de quibusdam adhuc sub judice lis sit, pedem hîc figere, quàm sententiam præcipitare, præstat.



EXERCITATIO VI.

DE MORBORUM CAUSIS.

I.

NOn omne cauſarum hîc genus, ſed ſolùm *efficientem* intelligi, bene, ex *Galeno*, monet Autor; licet enìm, ut ſanus ſit homo, omnes quatuor cauſę ꝯcurrant neceſſe eſt, tamen, ut vero morbo la-oret, ſola ſufficit *efficiens*, cujus etiam cognitio ım neceſſaria eſt Medico, ut non ſine ratione *ergamenus* Ἱπποκρατίζων l. περὶ χυμῶν ita ſcripſerit: ... τὸν θεραπεύσοντα τὰς ποικιλίας τῶν νοσημάτων, προγινώσκειν τὰς αἰτίας αὐτῶν.

II. Cauſam deſcribit *Galen. l. de diff. ymptom.* quod ſit διάθεσις παρὰ φύσιν προηγουμένη νοσήματος, καὶ διὰ μέσου τοῦ νοσήματος τὴν ἐνέργειαν ...άπτουσα: & *l.* 1. *de loc, affect. c.* 2. *id*, inquit,

quôtangente afficimur, & quô separato quiescit affectus, τοῦτ' αἴτιον εἶναι, πεπιστεύκασι πάντες αὐτ... ποι.

III. Heîc verò, quicquid suâ naturâ aliquid confert, ad ejus, quod fit, generationem, *efficientis* nomine indigitare Medici consueverunt; ita ut non tantùm ea, quæ jam actu agit, sed etiam omnis illa, quæ quocunque modo morbum producere valet, efficiens audiat.

IV. Utilis distinctio causarum morbificarum est, quâ considerantur vel habito respectu *ad morbum* vel *ad se ipsas*: primo siquidem in limine docet, qua ratione in utriusq; sub divisionibus inimicam doctrinæ confusionem evitare liceat.

V. Elegans modus est, quem multi ex Recentioribus hodiè amplectuntur, dividentes Causam *respectu morbi* consideratam, in *Immediatam* & *Mediatam*, Hancque iterum in *proximam*, & *Remotam*, quæ ipsis porrò quadruplex est; *supernaturalis*, *naturalis*, *nonnaturalis* & *præter naturalis*, &c.

VI. Sic quicquid quocunque modo ad morbum *generandum*, *fovendum*, *augendum*, *prolongandum*, *&c.* facit, *mediatarum* nomine compre-

comprehenditur, nec *antecedentem* modo, & *primitivam ſive occaſionalem*, verùm etiam *continentem* & *conjunctam* reſpicit.

VII. Quoad *continentem* Cauſam, in eô omnes convenire videmus, quod ſit, quæ *morbum contineat*; an verò diverſa à conjuncta, & an una eademque cum proximâ ſit, diſſentire: Illorum nob. arridet ſententia, qui diverſam à *proxima*, unam verò eandemque cum *conjuncta* eſſe ſtatuunt, cùm omninò cauſa *proxima* ipsâ *continente* latius pateat.

VIII. De *Evidente, Procatarctica, Externâ, Latente* &c. cauſa alios aliter ſentire conſtat; & fatendum eſt, non poſſe tàm accuratis limitibus doctrinam de cauſis morborum, illarumque agendi modo, à Medicis circumſcribi, utpote qui remotiſſimarum quoque in M. M. rationem habent; interim quoad fieri licet, evitetur confuſio, quæ ne quidem in remotioribus ſemper impunis eſt.

IX. Mentionem quoque faciunt Practici Cauſæ *ſine quâ non, principalis*, & *adjuvantis*, quæ cum curandi rationi, utiles ſuppeditando indicationes, non parùm quoque inſerviant, negligi illarum conſideratio, minimè debet:

de causa *verâ* & *legitimâ*, *spuriâ* & *illegitimâ*, *minus principali*, *instrumentali*, *totali*, *partiali* idem esto judicium.

X. Porrò causæ morbificæ, absolutè, seu ut res sunt, consideratæ, id omne, quod corporis naturalem constitutionem lædere atque immutare valet, includunt, ac doctrinę g. commodè in *Externas* & *Internas* dividuntur.

XI. Externarum aliæ *supernaturales*, aliæ *nonnaturales* sunt, quarum quædam ἐξ ἀνάγκης quædam verò οὐκ ἐξ ἀνάγκης corpus nostrum alterant: hæcque à modo, quò nos oppetetunt, quadruplici, 1. in *ambientia* & *incidentia*, 2. προσφερόμενα, quæ *assumuntur*, 3. in ea, quæ geruntur, & 4. quæ excernuntur, & retinentur, veluti in certas classes, dispesci à plerisque solent. Vid. *Galen. Art. Medicinal. c. 85.*

XII. Recepta hactenus divisio, quâ humorum vitia in *plethoram* & *cacochymiam* dispescuntur, non tam excludit, quàm includit ea, quæ à Recentioribus urgentur; sunt enìm veluti summa capita, ad quæ veteres compendiariam viam affectantes, cætera reducenda innuerunt; tollatur enim quantitas

qua-

qualitasvè alterata, quid *fermentatio*, quid *præcipitatio*, *effervescentia*, *acidum*, *tota* denique *substantia* peccans, sine illâ efficere potetunt.

XIII. Tentarunt hactenus Recentiores, variis principiis ex ipsâ Corporis Humani, & remediorum naturâ desumtis, artem Medicam auctiorem atque illustriorem reddere, quorum diligentiæ ùt debitum honorem haud invidemus, ita multa eorum inventa veteribus non omninò ignota fuisse arbitramur.

XIV. Pertinet huc illud *amarum*, *salsum*, *acre*, *accidum*, *acerbum &c. Hippocratis*, quibus plus, quàm rerum corticem, exprimere voluit, unde etiam *Adeptorum* particeps à multis perhibetur.

XV. Veterum itaque de morborum causis sententiæ non est ut propterea dicam ilicò scribamus, quando aliquid recensetur novi; sæpe enim non nisi aliis terminis profertur, quod nec veteribus inusitatum fuisse illud *Hippocrat. in lege*, τὰ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται, &c. docere nos potest: sæpè etiam lydium ad lapidem examinata res, non nisi novitate se commendare deprehenditur.

XVI. Præ reliquis verò Recentiorum in-ventis magnam doctrinæ de morborum causis lucem adfundit *Motus sanguinis Circularis*; eaque meritò *chylifera, lymphatica* & *salivalia vasa* referũtur; quippe quorũ rivulis campus αἰτιολογίας alioquin satis amplus, utilissime irrigatur.

XVII. Sed referre pleraque, propositum vetat, neque hujus loci est, *Palæmonem* agere. Optandum potius ducimus, ut, quemadmodum in Corpore Humano admiranda partium est ἀλληλουχία, ita quoque in tantâ diversarum hypothesium varietate illud *Hippocratis* ξύρροια μία &c. locum tandem inveniat! Quid conciliatione tali pulchrius?

XVIII. Distinctum ab humoribus genus morbificarum Causarum constituunt *Calculi*, *& Vermes*, res, ùt *Galen.* vult, ὅλης τῆς οὐσίας παρὰ φύσιν; illorum ad productionem, sicuti præter peculiarem renum & vesicæ dispositionem, spiritus lapidificus non sine ratione requiri, aut principaliter concurrere statuitur: ita hi an ex materia *putridâ* & *corruptâ*, an verò mediante *putredine* & *corruptione* in nobis generentur, dubitatione haut caret. Putredo interim meritò accusari videtur, cum hac ablatâ, illorum cesset generatio.

XIX.

XIX. Hactenus ferè tantum αἰτιολογίας, generalia delibavimus, ad ſingularia devenire vetat chartæ anguſtia; inveniet tamen hæc quoque facilè, qui illa minimè neglexerit.

XX. Ne nihil de his, hoc jam dicimus; Tantam qualitatibus occultis cũ manifeſtis amicitiã, & neceſſitatem intercedere, ut illæ absq; harum comitatu diu quidem integræ ſubſiſtere haut poſſint; hinc ratio fluit, cur ad ſimilarium morborum cauſſas referantur.

XXI. Non ſine ratione *Hippocr. Prognoſc.* x. 4. diligenter in Morbis obſervandũ à Medico ſtatuit, ſi quid divinũ accidat: quid verò per τὸ θεῖον hoc intelligendum ſit, non omnes æq; explicant. *Galenus* in Comm. refutat illos, qui per τὸ θεῖον cauſas morbificas Dei conſilio, præter naturæ curſum, immiſſas intellexerunt, propterea quod *Hippocrates* nullibi cauſam ægrotationis in Deum refundat. Nobis verò non tàm implicem, quàm potiùs magis ſublimen, planeque ignotam aëris conditionem hac voce Hippocrat. innuere voluiſſe videtur.

XXII. Multi quidem negant, venenum in corpore noſtro generari poſſe, cùm omne quod in eod. producitur, vel à calore naturali, vel

vel præternaturali fiat, quorum neutrum hi habere locum putant; verùm potiorem illorum arbitramur ſententiam, qui humores in corpore humano eò uſque corrumpi poſſe ſtatuunt, ut ipſius veneni naturam induant.

XXIII. Concinnam membrorum corporis conformationem non raró prava matris imaginatio impedit; quî autem fiat, ut omnibus jam partibus embryonis abſolutis, caput vel manus in lucem edito deſit, res altioris est indaginis; non malè illi fortè, qui animi πα-θήματα per imaginatinonem excitata mediantibus ſpiritibus, non modò dirigere formatricem, ſed omninò graviorem paſſivũ impetum facere ipſumque formatricis opus, non ſolum modò pervertere, ſed quandoque etiam evertere ſtatuunt.

XXIV. Laborantibus, *Humoribus* & *Spiritibus*, non immeritò culpa in eas transfertur res quæ illorum *ſubſtantiam*, *qualitatem*, *quantitatem*, *motum*, *locum*, &c. alterant atque p. n. afficiunt.



EXERCITATIO VII.

DE SYMPTOMATIBUS EORUNDEMQUE DIFFERENTIIS.

I.

Quamvis confusa Symptomatis cognitio ipsius morbi tractationem pręsupponat, cùm impossibile sit affectum præternaturam, primò actionem lædentem, intelligere, nisi primô generaliter, quid actio læsa sit, cognitum habeamus: tamen ad distinctam quod attinet cognitionem, meritò symptomata posteriori loco tractantur, cùm à morbis, tanquam causis suis dependeant.

II. Definitionem *symptomatis* (quod ab *accidente* non physicè, sed medicè tantùm differt) dubiam nonnulli faciunt, propterea quod *Galen. l. 1. M.M. c. 8.* nigrum Indorum colorem Symptoma dicat, qui tamen secundum naturam est; tum quòd *Idem 1. & 2. M.M.* actiones

læſas à ſymptomatis diſtinguat, & *lib. de ar constitut.* morbos ex aliis natos ſymptomata d cat; Verum enim verò ſi quis conſideret, tr plicem, immo quadruplicem apud *Galenum* ſymptomatis acceptionem potiſſimùm inv niri, facilè deprehendet, difficultates haſce a parentes potius, quàm reverâ tales eſſe.

III. Interìm cum propriiſſima ſymptom tis acceptio, quæ *Galeni* eſt, omnem eju naturam non exhauriat, quandoquidem no omne ſymptoma morbum immediatè ſequ tur, ipſeque *Galenus de differ. Symptomat.* c. illud omne Symptoma eſſe doceat, quod n morbus, nec cauſa morbi eſt, licet ab ill vel aliis oriatur: non incommodè etiam a aliis definiri ſymptoma videtur: quod ſit *acc dens p. n. in iis, quæ extra constitutionem partiu ad actionem neceſſariã ſunt, aliquid aliud ſequen*

IV. Quamvis verò Symptoma morbum, v luti umbra corpus, ſequi dicatur, & omninò i tertio hoc, eſſe ſcilicet dependens (quod h ſufficere poteſt) hæc ambo conveniant, Sym ptoma tamen ab umbra in tantum differt, quo umbra nihil agat, ſymptoma vero non prorſu non lædat, id quod dolor, aliaque id gener

ſym

ymptomata, quæ ſicuti diſtinctam à morbo
c causâ naturam ſunt ſortita, ita quoq; diverſa
c pecularia præſidia indicant, docere queunt.

V. Alterat itaque etiam *Symptoma*, & nutat, non quidem ut morbus, quippe quem, eluti umbra corpus, ſequitur; neque ut auſa, quandoquidem hæc non niſi median- e morbo alterat, ſed ut accidens ab utroque di- inctum, quod Galenus per ſymptoma ex- rimere conſuevit.

VI. Benè monet Autor, Symptomata b operibus naturæ differre, id quod etiam *Galenus* inculcat, quando *lib. de different. ymptom. ult.* diligenter attendendum eſſe ſcri- it, ut accuratè ab operibus naturæ ſympto- nata diſtinguantur, utpote quæ maximam ſæ- è inter ſe ſimilitudinem habent; Autor hanc onit diſtinctionis notam, quod τὰ τῆς φύσεως ἔργα obore facultatis perficiantur, neque ad mor- um in fieri vel facto ſequantur, cui & alia, & ræſertim illud καιρῶς ex *Galeno* addi debent.

VII. Non obſtat tamen hoc, quò minùs tiam naturæ opera, quatenus à naturâ, à cauſ- â morbificâ irritatâ, fiunt, ad ſymptomata, æq; c actionum fruſtrationes, reducantur; licet

enim reſpectu virium & facultatis nihil hi
quoque p.n. fiat; tamen corporis noſtri, & ope
rum, quæ per illas actiones fiunt, reſpectu
omninò aliquid, quod aliter in homine fieri
debebat, accidit. Quin & medicus, niſi, in
actionum læſarum cauſis inveſtigandis, ad hæc
quoque reſpiciat, & ubique ritè diſtinguat, fa
cilè in reddendis cauſis falletur. Quin
ejuſdem medici eſt tales actionum fruſtratio
nes avertere, atque præcavere.

VIII. *Autor* ſymptoma propriè di
ctum à morbo, tanquam causâ proxima
deducens, nullam tam *ſymptomatis cauſæ*
quàm *ſymptomatis ſymptomatis* mentionem
facit, partim quod, licet in ſubjecto me
dico tales mutationes frequenter hoc modo
fieri ſoleant, omnia in arte Medicâ ad finem,
nimirum ad Medendi Methodum, dirigenda
veniant; partim etiam, quòd & reliqua ſympto
matum genera morbum neceſſariò præſuppo
nant, ut ut non ſemper immediatè ſequantur.

IX. Galenus *l. 3. de ſympt. cauſ. cap. 1.* tri
actionis læſæ genera ponit, alii verò his non con
tenti, præterquam, quod ad actionem immi
nutam, auctam quoque adjiciunt, quartum in
ſtit

ſuper genus, quod actionis triſtis vel voluptuoſæ p.n. eſſe volunt, conſtituunt; Verùm enim verò cùm præter neceſſitatem entia multiplicanda non ſint, in *Galeni* diſtinctione cum Autore acquieſcimus, propterea quod actiones tàm auctæ, quàm triſtes & voluptuoſæ p.n. facile vel ad reliquas differentias reducantur, vel omninò ab hac conſideratione, quatenus ſanitatis ſtatum non mutant, excludantur.

X. Quamvis etiam morbus κατὰ συμπάθειαν alterius morbi per ſe producti ab aliquibus ſymptoma dici ſoleat, rectius tamen *ſymptomatici* nomine indigitari cenſemus.

XI. Quid ſit actio depravata varii variè exponunt; quidam enim volunt, *Eſſe actionem quæ tollit omne illud, quod natura intendit ponere*; alii docent, *Eſſe, quæ terminum producit aliter, quàm fieri debebat.* Difficilis ſanè res eſt, ſi varios depravationis modos conſideres, actionem depravatam unâ & ſimplici definitione circumſcribere. Interim illa non diſplicet explicatio, quâ actio depravata ea eſſe perhibetur, *quæ terminum producit, nec prout in fieri, nec prout in facto eſſe debuerat.* Hinc etiam, quod ſupra innuimus, actiones auctas eſſe depravatas patet.

XII. Sunt, qui dolorem depravatam actionem esse negant, præsupponentes, quod sensus in dolore objectum suum rectè percipiat atque dijudicet, æque ac quando colores rectè cernuntur, & dijudicantur à visione, depravata hæc dici nequit; Verùm & ratio & experientia aliter docet, quibus victi, illorum sententiæ subscribere non possumus.

XIII. Utrum secundum facultatum genera, an potius secundum diversitatem actionum symptomatum actionis læsæ divisio institui debeat, dubitatur; & sunt, quibus utrumq; licere, videtur, quandoquidem res eôdem recidat; Nos interim ex subjectâ naturâ symptomatum divisionem venamur, quam proximè actiones, remotè verò facultates suppeditant.

XIV Cum non simpliciter actio læsa, sed ejusdem etiam qualitas & quæ eam insequuntur, in morbis respicienda sint, patet, rectè sentire eos, qui occultarum quoque qualitatum, seu totius substantiæ symptomata dari asserunt.

XV. Certo respectu *vitalia* seu Cordis symptomata, *animalia* quoque vocari posse, facilè concedent, qui cum *Hippocrate* influxum con-

conſpirationem atque conſenſum omnium, uti fas eſt, admittunt.

XVI. Cùm intellectus noſter inorganicus ſit, & veluti in fieri & eſſe, ita quoq; in operari ab inſtrumento corporeo non dependeat, arbitrantur nonnulli, Ratiocinationis ſymptoma haut dari; ſed ipſa dementia aliaque ſimilia, quæ, (uti apud *Galen. de differ. Symptomat.* c. 3. videre eſt) à reliquis internorum ſenſuum ſymptomatibus contradiſtinguuntur, hos apertè ſatis refutant.

XVII. Dum *Galen. de different. Symptom. in fine* tempus, in quo movetur excretum, perpendit, temporis quoque ſymptoma quoddam admitti debere, neque ſine ratione videtur, cùm ſæpius intempeſtiva emiſſio ſymptomaticum fluxum conſtituat, uti etiam ex Theſ. 6. colligere eſt; verùm nihil novi ex temporis ratione ſymptomatibus accedere arbitramur, quandoquidem illud non niſi ſignum eſt ipſius modi, qui vel in actione læsa, vel in excretionis vitio ponderari meretur.

XIIX. Ventriculo quidam fibras eo modò quô ad triplicis generis actionem, *attractio-*

ctionem, *retentionem*, *&* *expulsionem* facere perhibentur, demunt, incertam fibrarum actionem objectantes: interim si ἀτονίαν ventriculi, cujus frequens apud practicos est mentio, probè consideremus, non sine ratione fibrarum resolutionē, inter alias causas, accusari patebit; cui enim nisi, fibrarum beneficio naturaliter facto, necessaria illa ventriculi contractio blanda, & exclusivæ pressionis nisus æquè commodè adscribetur?

XIX. Cùm Symptomata, quæ in affectu simplici, sine qualitatibus mutatis consistunt, magnam cum actionum læsarum, excretorum & retentorum symptomatibus affinitatem habeant, modus considerandi, qui rem optimè distinguit, cavetque, ne diversa symptomatum genera confundantur, in subsidium hîc vocari debet. Cæterùm præter eas, quas *sensuum externorum* numerus suppeditat differentias, huc etiam *sensibilia communia*, in *figura*, *magnitudine*, *motu* &c. p. n. ut & faciei cadaverosæ, ab *Hippocrate*, (unde *Hippocratica* dici suevit) *1. prognostic. cap. 3.* expressa descriptio, aliaque similia referenda veniunt.



EXERCITATIO VIII.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM EXTERNORUM SENSUUM.

I.

SYmptomatis Cauſam licet inquirendam eſſe negent illi, qui ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας nomen habent, & ſolâ experientiâ nituntur, tamen ipſa eos curatio vera, non palliativa, manifeſtè refutat, cùm id quod, curatur, non ſymptoma, ſed ejuſdem cauſa ſit.

II. Hinc & cauſa Symptomatis ea dicitur, quæ ſymptoma gignit, fovet, auget, ſicq; efficit: unde non quicquid ad ejus generationem confert, ſed effectricem ſolummodo h. l. conſiderari patet.

III. Ut autem ſymptomatis cauſam noſſe aliquando facilè, in morbis ſcil. manifeſtis, ita aliquando in morbis occultis ſatis difficile, aliquando etiam, in iis præſertim morbis

quos DEUS & Natura incognitos, atque incurabiles vel optimo cuique esse medico vult, planè impossibile est.

IV. Nos, ad ductum Autoris, nonnulla ad præsens negotium facientia afferemus, veritatis indagatoribus occasionem meliora monendi præbituri.

V. Naturales impotentias, quæ ob pravam objecti dispositionem contingunt, minus rectè ad symptomata referri, si rem accuratius quis examinaverit, deprehendet; neque, enim partis dispositio respectu objecti (quod utrobique justum præsupponitur) sed potiùs respectu potentiæ & promptitudinis, vel impotentiæ agendi, sana vel ægra appellatur.

VI. Dum *Facultatum influentium* mentionem facit *Autor* ex *Galeno*, non equidem ita vult rem intelligi, ac si reverâ ex una parte in aliam influerent, sed (ùt alibi se explicat) hoc ipsum de influente spiritu & calore, tanquam facultatis instrumento primario accipiendum esse monet. Et ratio in promptu est; siquidem respectu *originis* nullo opus est influxu, cùm aliàs in toto corpore facultates sint præsentes; neq; etiam *subjecti* ratione hoc ipsum

com

conceditur, quia nullum accidens de ſubjecto in ſubjectum migrat: at quodlibet organum facultatis propriè ſubjectum ſtatuimus.

VII. Nobiliſſimam equidem oculi portionem, & quovis adamante pretioſiorem, agnoſcimus humorem Cryſtallinum: cùm verò organum videndi proprium ita conſtitutum eſſe conſtet, ut ſpeciem viſibilem non per modum tranſeuntis; ſed immanentis recipiat, idque tunica reticularis præſtet, non poſſumus non ſubſcribere illis, qui hanc ipſam tunicam (expanſſum veluti nervum opticum) proprium & genuinum videndi inſtrumentum; Cryſtallinum verò humorem lentem veluti in obſcuræ cameræ foramine eſſe ſtatuunt.

VIII. Licet autem hoc ita habeat, verum tamen aſſerit *Autoris* effatum, quando humorem cryſtallinum omnis generis morbos pati, horumq; pro diverſitate variis viſum ſymptomatibus affici ſcribit. Et hoc quidem cum ſingulis oculi partibus commune habet; viſus verò objecti errores quod attinet, cùm de his Medicus non agat, non immeritò à nobis omittuntur.

IX. Sunt, qui errare illos judicant, qui

inter affectus Crystallini humoris visum obla-
dentes intēperiem recensent, tùm quod in cry-
stallino non celebretur visio, tum quod non
sit commodus suâ temperie, sed puritate, &
translucentiâ: verum benignè hos audiendo
putamus, cum hæc ipsa puritas & translucentia
non rarò ab ipsa intemperie noxam sentiat, pri-
misque qualitatibus, harumque symmetriis
haut parum debere videatur.

X. Spirituum quidem in visione usus est
egregius, non tamen is semper, quem illi fin-
gunt, qui ad objecta eos etiamnunc emitti cre-
dunt. Quid præstent, roganti: coaccipere
impressionem specierum visibilium in retina
factam, respondent doctiores, eamque im-
pressionem offerre animæ, quandoquidem ita
comparatum est, ut sine spirituum operâ ani-
ma, quàm diu hoc in corporis ergastulo mora-
tur, nihil ferè efficiat.

XI. Duplex itaque potissimum spirituum
sese offert vitium: Defectus scilicet & motus
eorum inordinatus circularis: Ob defectum
prout is major, vel minor est, debilitatur vel
aufertur visio; ob motum verò circularem
omnia in gyrum verti videntur.

XII. *Galen. libr. 1. de Symptom. cauſ. c. 2.* affectus humoris aquei & cryſtallini proſecutus, nullam vitrei affectionem commemorat, quaſi hic humor nullo pacto viſioni obeſſe poſſit. *Avicenna* tamen *l. 3. fen. 3.* humorem vitreum viſum lædere ſcribit, quia lædit glacialem humorem, quia alimentum æquale ipſi non ſubminiſtrat. Verum quamvis & recentiores nonnulli hanc doctrinam amplectantur, falli tamen eos, propterea quod verum vitrei humoris uſum ignorent, aliorum eſt judicium. Nec ſine ratione ita judicant, cùm tam ratione vitrei propriè & immediatè lædi viſio, quàm ratione humoris Cryſtallini, poſſit, ſiquidem æq; vitreum viſibiles rerum ſpecies quàm cryſtallinum tranſmeare debent. Unde ſi & hic vel coloretur vel craſſeſcat, caliginis cauſa præſto erit.

XIII. Communis ferè ſententia eſt; pupillæ anguſtiam facere, ut res majores, dilatationem verò, ut minores videantur. Et à nonnullis hæc additur ratio, quòd nempè in constrictione pupillæ per foramen anguſtum ſpecies illabentes poſteà in ampliori ſpatio verſus cryſtallinum dilatentur: contrà verò in dilatatione pupillæ ſpecies viſibiles per ampletum,

foramen illapsæ in repleto versus crystallinum spacio sub minori angulo rem visui minorem apparere faciant. Sunt tamen, quibus hæc ratio parum satisfacit; cum sive ampla sit pupilla, sive arcta, perpetuò species visibiles ex aëre in oculum incidentes ad perpendicularem refringantur, h. e. ob densius medium oculi, quàm aëris, cogantur & congregentur. Quid nob. videatur, in conflictu aperiemus.

XIV. Ophthalmiam, pluresque alios oculorum affectus non tam cerebri, quàm sanguinis massæ vitiis adscribendos esse, plurima à ratione & experientiâ desumta argumenta evincunt.

XV. *Processus mmamillares*, (quos *Galenus* nunquam hoc nomine, sed *libr. 1. de symptom. caus. cap. 4.* tantum ἀποφύσεις τοῦ ἐγκεφάλου appellavit) diu quidem pro odoratûs organo tàm à veteribus, quàm recentioribus habitos fuisse constat; docuit tamen posteà accuratiùs institutum rei examen, interiorum narium potiùs membranulæ, quæ ex fibris proreptantibus per os Ethmoides, & ortũ à durâ menynge habentibus, constituitur, genuini olfactus instrumenti dignitatem deberi, utpote ad quam nervi à tertio pari propagati transmittuntur, &c.

XVI. Equidem verum eſt, linguam reſpe-ætu propriæ carnis laborantem, guſtatum variè ædere, num verò hæc ipſa caro peculiaris primarium guſtus organum ſit, nondum nter autores convenit: Recentior αὐτοψία locuit, nec carnem, nec linguam, nec mem-branas, neq́ue nervos ibi exiſtentes, neq́ue landulas amygdalinas, ſed *parvas* quasdam *minentias*, quæ in linguis omnium animalium leprehenduntur, organum guſtûs conſtituere.

XVII. Quamvis *Galenus* aliquando, de entententia *Hippocratis*, ſolam continui ſolutio-iem doloris cauſam eſſe ſtatuit, in pleriſq; ta-nen locis intemperiem ſolutioni continui ad-ungit, uti præſertim *l.2. de loc.aff.c.5.l.12.M.M.* *. 1. & 7. in art. Med. c.8.* videre eſt; ipſeq; *Avi-enna Canon.l.1.fen.2.doctr.2.ſumm.2.c.19.Ga-enum* reprehendit quoties ſolutionem conti-iui eſſentialem doloris cauſam ſtatuit, dupli-em verò ipſemet aſſignat, *intemperiem* & *ſolu-ionem*, quam ſententiam multi etiam, nunc mplectuntur; Nos verò non niſi unicam do-oris cauſam agnoſcimus, nempè λύσιν τῆς συνεχείας, uam *Ariſtot. 6. Topic. c. 8.* διάστασιν τῶν συμφύτων με-ῶν, connatarum partium diviſionem indigitat.

XIIX.

XIIX. Solutio hæc unitatis inchoata est vel ἔνδηλος vel ἄδηλος, h. e. vel ad ſenſum evidenter patet, vel non niſi ratione contemplabilis exiſtit, prout ſcilicet tangibile violentum ſunt qualitates primæ vel ſecundæ. Quando exceſſus dolorificus in qualitatibus primis occurrit, tunc ſolutio continui obſcurior, alteratio verò manifeſtior eſt. Non autem ſufficit ſola alteratio, quà talis, ſed tùm demum, ſi continuum ſolvat. Et hac ratione forte commotus *Galenus*, ut *c. l.* primas doloris ſpecies duas eſſe docuerit, & mutationem in primis qualiatitbus, cùm ſolutio continui ſit ratione ſaltem contemplabilis, *alterationis* nomine; mutationem verò in qualitatibus ſecundis *ſolutionis* appellatione indigitare voluerit, cum tamen utrobique ſolutio continui contingat, & immediata doloris cauſa unicè exiſtat.

XIX. Notum eſt, veteres ἀνορεξίας cauſam in eô poſuiſſe, quod vel nulla vel exigua venarum ſuctio perficiatur, pleriſq; verò hodiè hæc ſententia non amplius arridet; exiſtimamus tamen, tolerari eam poſſe, ſi non tàm venis, quàm arteriis, iſta adſcribatur ſuctio, & commodè explicata pro cauſa tantùm remotâ, non autem proximâ habeatur.



EXERCITATIO IX.

DE
CAUSIS SYMPTOMATUM FACULTATIS MOTIVÆ PRINCIPIS.

I.

PLurimi quidem in *Sternutatione* cerebrũ non leviter concuti existimant; neque id sine ratione fieri videtur, quandoquidem tàm ingens tunc corporis oboritur igitatio, ut quandoque apostemata rumpanur, partus maturentur,, mensesque cieantur: ed quidquid hujus sit, veriorem illorum sen-entiam esse statuimus, qui ipsum Cerebrum iec per se, neque etiam sternutando vehemen-iùs moveri volunt.

II. Omnem sternutationem non à pro-essibus olfactoriis, sed internâ narium tunicâ, cujus sensus tàm acer est, ut eâ lacessitâ, &

thorax non ſine ſono contrahatur,) obori
ſtatuimus. Quicquid igitur hanc afficere tu
nicam & irritare valet, ſternutationem con
citare aptum natum eſt.

III. Sunt qui *Tuſſim* per *motum* definiun
neque planè malè; melius tamen ad rem di
cunt, qui, cum *Autore*, *efflationem*, veluti ge
nus proximum, eligunt; qui verò per *vocem*
Tuſſim deſcribere ſatagunt, ἀκυρολόγως agerr
nobis videntur. Cæterum quamvis aliis quoq;
ſymptomatib. efflationis vox competat, mo
tus tamen concitati vehementiam, & ſtrepitus
vel ſoni, qui in tuſſi exauditur, gradum non at
tingunt; cùm ſola efflatio cum Tuſſi conven
tibilis, vehementiſſima, ſecundùm *Galenum*
& ſtrepera ſive ſonora dicenda ſit.

IV. Perficitur Tuſſis virtute movend
ſeſe pulmonibus inſitâ, quæ tàm manifeſta eſt,
& ſenſu etiam tàm in pulmonibus ſanis, quàm
tuſſiculoſis adeò deprehenditur, ut nullâ egeat
refutatione παράδοξον illorum, qui pulmonem,
non niſi pro cribro, ut aër purus thoracem ſu-
beat, inſervire, ipſum verò omnis diductionis
& compreſſionis incapacem eſſe ſcribunt. Ad
proximam verò Tuſſis cauſam quod attinet, il-
lam

am membranæ interioris tracheæ (præſertim
quà ſigmoideos & cartilagineos annulos ipſius
nvolvit) irritationi adſcribere non dubitamus.

V. Præter morbificam illam πλήρωσιν καὶ
ένωσιν, quam ex *Hippocr.* & *Galeno Autor* ſin-
gultus cauſam eſſe vult, alii ſal reſolutum, &
terum coagulatum; alii domeſticum ventricu-
i vitium & acorem in propriâ domo degene-
antem; alii denique excrementum pituito-
um chyloſum acrius cum bile, & ſucco
ancreatico commiſtum regurgitans & poſt
e ſtimulum relinquens accuſant. Er vi-
ulâ hic dignus, & ille. Interim Humores
omnis generis, acri ſuâ qualitate (non excluſis
lanè flatibus,) ἄμεσον ſingultus cauſam, expul-
ricem inquam, irritate poſſe, res ipſa loquitur.

VI. Placet nonnullis *Rigorem* definire
er refrigerationem dolorificam, nos verò
Autori ſubſcribimus, qui Vibrationem eſſe
muſculorum dicit. Cæterum qua ratione gene-
etur Rigor & quæ nam ſit ejus proxima cauſa,
atis obſcurũ eſt. Vehementem illam corporis
oncuſſionem fieri ſaltem à motu atq; curſu
eciproco calidi naturalis, probabile non eſt,
t ùt concurrere eum quandoque poſſe, *Autor*
enè moneat; cùm quô aliâs in mordicante,

& acri aliquâ molestiâ ad sensiles partes dela[...] causam potius quærendam esse, omnino statui[...] mus.

VII. Illius verè frigoris & rigoris, qui i[...] paroxysmo febris intermittentis excitatu[...] causam genuinã non esse aliam, quàm succi nu[...] tritii in materiam nitrosam degeneris fluorem[...] & turgescentiam, queis spiritus & calor suffu[...] obtundantur & corpora nervosa irritata in tre[...] mores cieantur, sententia est ulteriori medita[...] tione eô magis digna, quo propius ad verum accedere videtur.

VIII. In *oscitatione* musculi mandibula[...] res ob viciniam glandularum vasorumque sali[...] valium, primùm videntur affici; sæpè imagina[...] tio in causa est, ut oscitante uno, oscitet & a[...] ter; à causâ verò morbificâ ubi ortum habe[...] vaporosi halitus collectio hanc constituit, se[...] num & hæc causa est, quod oscitantes minù[...] audiant? Videtur potius hoc ideò fieri, quod in maxillarũ diductu auditûs instrumentum com[...] cidat, spiritusque interpelletur.

IX. Veteres quidam, *ut Galenus l. de diff. pulſ. 20.* ait, omnẽ arteriarum motum appella[...] re palpitationem consueverunt. Postea no[...]

mem

men hoc accomodatum eſt peculiari affectui, & palpitatio, quæ Græcis σφύγμος, Ariſtoteli σφύξις vocatur, in genere de omnibus partibus, quæ dilatationem ſuapte naturâ admittunt, iterumque concidere queunt, & à *Galeno* etiam *l. 2. de palpit.* & *tremor. cap. 5. & 2. de ſympt. c. 2.* dilatatio & conſtrictio palpitantis partis, ſeu e-latio & depreſſio p. n. dicitur. Hanc à vapore multo & craſſo provenire, (etiamſi vapores apud multos ignorantiæ κρησφύγετον audiant) cum *Autore* ſtatuere non dubitamus.

X. Quæ apud antiquos diu increbuit opinio, *Convulſionem* tantùm à *repletione*, aut *inanitione* produci, ob falſam hypotheſin, cui innititur, facilè per ſe concidit: Hinc è Recentioribus plerique *irritationem* nervoſarum partiũ præcipuam convulſionis cauſam ſtatuunt. Nec malè, cum non raro evidentis cauſæ vicem habeat, immo inſuper leviores quandoque ſpaſmos ſolitaria hæc cauſa producat. Interim propius ad huc ad rem iſla accedere ſententia videtur, quæ *ſpirituũ animalium copulam explo-ſivam, heterogeneam* & *nimis elaſticam* accuſat.

XI. Uti in *Paralyſi* partem primariò affectam *Nervum* ſtatuimus, non obſtantibus eo-

rum rationibus, qui non primariò ſenſum hiis atque motum partibus communicare volunt, ita quoque *Cauſam* paralyſeos *immediatam* prohibitũ ſpirituum animalium in nervos influxũ agnoſcimus, unà exiſtimantes, hanc ipſam prohibitionem, vel ex parte *influentis objecti*, vel ex parte *meatus* ſeu *organi* contingere, ubi tamen ipſius partis *recipientis* conſtitutionem minimè excludendam eſſe cenſemus.

XII. Μετάβασιν doloris Colici in πάρεσιν non fieri, quod materia colicos inducens dolores ab inteſtinorum tubulis digrediatur ad ſpinalem medullam, locum nobiliorem, priori ſcil. relicto foco, ſed quod nova affluens materiâ non amplius petat inteſtinum, vel ejusdem viciniã, verùm eam præterlabatur, ſpinamque immo ipſos artus adoriatur, cum Recentioribus aſſerere nulli dubitamus.

XIII. Equidem proximam omnis *Apoplexiæ* cauſam defectum eſſe ſpirituum animaliũ in organis ſenſus & motus, facilè largimur; ad antecendentem verò cauſam quod attinet, *Galeno* non poſſumus ſubſcribere, quando *l. 3. de loc. affect.* Spirituum animalum & generationẽ & diſtributionem ex obſtructione cerebri

ebri ventriculorum à craſſo, pituitoſo & viſci-
lo humore oriundâ impediri docet, quin po-
ius in hoc ſubjecto, & affectu determinato,
arotidarum arteriarum; in alio venarum ju-
ularium, in alio torcularis &c. obſtructionẽ
ve compreſſionem (quando quidem omnes
nfluxum ſpirituum animalium impedire aptæ
atæ ſunt,) accuſandam eſſe ſtatuimus.

XIV. Multum quidem dicere videntur,
ui *Epilepſiam* ſeu *Caducum* ab Archei fermen-
tione produci perhibent, neque illam, ſi ritè
xplicetur, planè rejicimus, verùm nimis ope-
oſe excogitatur à *Paracelſo* cauſa mediata;
uorſum enim opus eſt, ſtupefactivo, mordifi-
tivo, & inebriativo fumo, cum ſola mordica-
va ſeu acris aut alio modo moleſta cauſa
ic affectui generando idonea ſit? Et ſanè, dif-
cilimum fuerit, iſtiuſmodi Sulphur Vitriolatũ
omni ſemper epilepſiâ oſtendere. Poſſemus
c ἐπέχειν, ſed quia ſtatuendum eſt aliquid, ut,
id ſtatuendum ſit, doceamur; non incom-
odè, quæ ſuperius de *Convulſione* innuimus,
ic affectui quoque accommodari poſſe, im-
o debere arbitramur.

XV. Verum *Lethargum* à pituitoſâ ce-

rebri

rebri inflammatione, Nothum verò à vapori-
bus in febri pituitosâ primaria, vel à pituitâ co-
piosâ in cerebro collecta ibique à calore fusâ &
liquatâ provenire, (non exclusâ interim serosâ
Pisonis colluvie) qui docent, uti autoritatibus
minimè destituuntur, ita quoque rationibus
haut ficulneis militant; quod si verò cuipiam
per principia chymica hæc explicare magis arri-
deat, non displicebit, quandoquidē fortè non
nisi *verbalem*, minimè verò *realem* fore dis-
sensum, persuasum habemus.

XVI. Rectè Autor *Phrenitidem* definit
per *delirium*, quippe quod longè accuratiùs
quàm Inflammatio, genus proximum absolvit
neque rationes in contrarium afferri solitæ
nos, ut aliter sentiamus, movere possunt. Cæ-
terū cùm *diaphragmate* (quod τῶν φρενῶν nomi-
ne exprimunt Græci) inflammato Paraphrenitis
fiat, non incommodè hinc gryphi illius
Pliniani in *Heraclidis* antro inclusi: *Atq;
etiam morbus est per sapientiam mori*,
explicationem quidam de-
duxerunt.



EXERCITATIO X.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM VITALIS ET NATURALIS FACULTATIS.

I.

Cùm Medicus Facultatum conſiderationem tantùm inſtituat, quatenus eædem conſervari, aut etiam læſæ reſtitui debent, hinc eaſdem potiſſiùm in reſpectu ad operationes perpendit; as autem ope inſtrumentorum perfici conat, ubi ſecundùm veteres tria principalia embra ſeſe offerunt, *Cerebrum* nempè, *Cor*, *Hepar*, quorum primum *animali*, ſecundum *tali*, tertium verò *naturali* facultati præeſt.

II. Numeratur autem hîc etiam *vitalis* cultas peculiariter, non quod ſit δυνάμις τῆς χῆς à reliquis diſtincta, (revera enim à *vegetivâ* facultate ſeparari nondebet, cùm ipſa

K ſpi-

ſpirituum vitalium generatio, quæ ab hac p tentia vitali perficitur, coctionis quædam species) ſed quòd in homine, & aliis perfecti ribus animalibus, ceu benè monet *Autor*, per ctiorem vivendi modum conſtituat, quat nus in Corde, vitæ fonte, tanquam in certo ſu principio reſidet, ita ut nobilior vegetati δυνάμεως gradus eſſe videatur.

III. Affinitatis, quæ *Reſpirationi* cùm *pu ſu* intercedit, jamdum *Exercit.* 3. *th.* 22. me tionem fecimus; nunc quoniam Cor αἱματώσε ως negotium abſolvere abſque reſpirationis a jumento nequit, non malè *Autor*, cauſas quo læſarum reſpirationum commodè huc refer poſſe, autumat.

IV. Qualisnam verò actio ſit *Reſpirat* non eadem eſt autorum ſententia: Nos il ſubſcribimus, qui Reſpirationem, quà mo tus eſt, *actionem animalem*; quà autem mot ille animalis à neceſſitate naturæ injungitu ſeu qua motrix facultatis animalis ad tale actionem impellitur, non ab objecto extern ſed ab inſitâ naturâ, eatenus Reſpiratione *naturalem functionem* eſſe, ſtatuunt.

V. Tres συγγενῆς differentias qui non ſolùn

gr

radibus, ſed longiſſimis intervallis à ſe invi-
em differre volunt, æque ac illi, qui jam tem-
ore *Aretæi* os ventriculi ſedem eligebant, no-
s errare videntur. Cæterùm ſanguinis & ſpiri-
um in corde detentionem, ſeu circulatio-
em ſanguinis inhibitam, adeòque σφῤῥοῆς ſan-
inis ex ſiniſtro cordis thalamo in partes de-
ctum (non totalem quidem, neque levem,
d) mediocrem, immediatam συγκοπῆς cauſam
tuimus.

VI. *Cordis palpitationem* ab irritatâ Facul-
e vitali dependere plurimi cenſent; verùm
i nos quoque facultatem Cordis pulſificam
vitalem agnoſcamus, neque, ùt nonnulli,
Facultatis mentionem illicò nauſeemus,
nen iſtiusmodi irritationē pro cauſâ palpita-
nis immediatâ non habemus: actio enim ta-
palpitationem non facit, ſed potius modum
. errabundū ſimpliciter, non autem παλμώδη.
pitramur vitioſum ſanguinis motum hîc u-
mque paginam implere, quem & *Galenus* 5.
oc. aff. 2. diſertè innuit, dum ſanguinis hic
ractionem maximè commendat, adeoque
curatione nos arguere cauſam morbi, mo-
n ſcilicet ſanguinis impeditum vel vitio-
n, docet.

VII. Genuinum *Aſthma* nonnullis
obſtructione tanquam proxima provenire ca
ſâ,dicitur: nobis vero anguſtia propiùs acce
re videtur, quæ vel ex obſtructione vel ex co
preſſione meatuum & vaſorū pulmonum, ta
quam causâ remotiore dependet. Etſi verò di
meatus & vaſa etiam à tenui, & ſeroſo hum
re, nec non à flatibus, obſtrui poſſint, verum t
men aſthma nobis non videntur producere
neque hoc niſi ex materia craſsâ, contuma
& pededentìm bronchia pulmonum opple
te & coarctante obiriri arbitramur.

VIII. Veteres χύλωσιν læſam *Imbecillita*
nomine appellabant, ſed non ſine reprehe
ſione *Galeni 7. M. M. 2* quod ſcilicet non ſup
vulgus ſaperent, qui infirmitatem impoten
amque ad naturale opus ita nominent & imb
cillum ventriculum eum eſſe dicant, qui n
concoquit, vel minima atque leviſſima, q
aſſumpſit: Cum nimirum imbecillitas non p
vatus aliquis affectus, ſejunctuſque ſit, ſed co
munius quid exprimat, *Intemperiem* ſcilice
quâ ratione imbecillitatem explicat *2. M. M.*
Cæterum læſæ Chylificationis cauſam no
ſolùm in ventriculi caloris, ſed & fe

me

menti ejuſdem impotentiâ & adulteratione precipuè quærendam eſſe, Recentiores docent.

IX. Subſtantiam ventriculi membranaceam, & quàm variæ fibræ carneæ hanc permeent, ſi quis probè conſideret ea, quæ de læſione *attractionis, retentionis*, & *expulſionis* ventriculi docet *Autor*, fundamento minimè carere haud difficulter deprehendet; imprimis tunica ſecunda, quæ propriarum prima, ſitu verò media eſt, hoc aſſertum maximè confirmat. Cui bono enim mira illa fibrarum omnis generis textura? non niſi ad robur, dicunt plurimi; nos verò etiam ad motum varium facere cenſemus.

X. Diſtributionem Chyli per meſaraicas ad hepar (cujus meminit *Autor*,) ſunt & ex Recentioribus qui adhuc defendant; neque inutilis meditatio eſt, licet inventis vaſis Lymphaticis non parum hæc ſententia ſufflaminetur. Quid tum? Veritas ubi aurem vellicat, honeſtè licet ſententiam mutare.

XI. Ἀτροφίαν à denegato nervorum ſucco nutritio provenire qui ſtatuunt, benignè audiendi ſunt: quodſi enim cum grano ſalis horum acceptetur ſententia, fortè cum veritate

conciliari poterit, ſiquidem ad nutritionis perfectionem ſpirituum animalium influxum omninò requiri, res ipſa loquitur.

XII. Κακοτροφία, præterquam quòd pravas plerumque facultatum actiones circa alimenti tranſmutationem ſequitur, ipſius ſanguinis δυσκρασίαν minimè hîc excludendam eſſe, non obſcurè docet. Pertinet huc illud *Hippocr.* quando 6. Epidem ſ. 4. aph. 26. *Æquum eſſe*, inquit, *prout ſe habuerit alimentum, ita etiam externas corporis partes affectas eſſe.* Et hoc *Elephantiaſis*, *Scabies*, aliaque id generis vitia ἐφθαλμοφανῶς oſtendunt.

XIII. Qui damnatâ & planè rejectâ bile flavâ, aliud *Icteri ſubjectum*, & *cauſam*, virus nempè excrementoſum, ſeu ſtercus flavum liquidum, ſecundæ digeſtionis fœtum ſurſum p. n. in venas raptum, & per corpus diffuſum, conſtituunt, parùm nos movent, qui hactenus Icteri cauſam non niſi in bile quærendã eſſe, cum Scholâ Galenicâ perſuaſum habemus.

XIV. Maſſa ſanguinea cùm ſanguine, pituita, bile & melancholiâ, ex opinione Veterum, vel, juxta Recentiorum placita, particulis heterogeneis ſalinis, ſulphureis fæculentiiſque

tiiſque terreſtribus &c. conſtet; habitum corporis pro harum vel illarum particularũ abundantiâ mirè variat; nempè qui viret in foliis, venit è radicibus humor: Quin & ipſum ſanguinis *ſerum*, dum ſubſtantia, qualitate, quantitate motu, loco, & tempore peccat, quam non morborum viciſſitudinem ſymptomatumque congeriem producit?

XV. Aquam illam, quæ continens *Aſcitis* cauſa eſt, à læsâ ſemper ſangvificatione dependere voluit *Galenus*; lædi verò ſanguificationem à frigidâ epatis intemperie, ſcribit *l. 5. de loc. affect. cap. 7.* & alibi, immo hydropis cauſam in ultimum refrigerationis epatis gradum reducit: verum præterquam quod de Sanguificatione hepatis aliter nunc ſentire nos jubent Recentiorum αὐτοψία, & inventa anatomica, conſtat etiam lienem, imo pleraque viſcera ſymbolum hîc conferre; quandoq; verò ab externo ſaltem errore, ſine viſceris alicujus vitio, malum hoc oboriri. Cæterùm *Aſciten* potius ab intemperie calidâ quàm frigidâ naſci, & autoritati Hippocraticæ doctrinæ, & rectæ rationi, & experientiæ reſpondet.

XVI. *Sterilitatem* partium genitalium p n. conſtitutio, quæ conſiſtit in læsâ temperi conformatione, compoſitione, ſolutâ unitat &c. proxime producit; hæque cauſæ vel occur rũt in mare vel in fœminâ, vel in utroq; ſimu Interim non rarò ſterilitatem quoq; inducun veneficia & maleferiatorum incantationes, qui bus ligari homines poſſe, & rationibus & exem plis confirmatur. Magis autem maleficia hæ in viris, quàm fœminis, exerceri, pleriq; fer cenſent: poſſet tamen quis exiſtimare, fœmi nas magis faciliuſq; tentari ſterilitate, cùm plu res hîc ſubſint cauſæ, quibus ſterilitas indu poteſt.

XVII. Inter varia, quæ circa vim generatric occurrunt ἄτοπα, meritò refertur *Mola*, per quan nonnulli aquæ ſeu flatuũ in utero collection alii induratum uteri tumorem intelligunt, ſe minùs rectè: hæc enim potius ad tumorum p. n. ſpecies, aut falſam ingravidationem per tinent, vera autem mola eſt σάρξ ἀργὴ, καὶ ἀδιάπλαστος, docente *Galeno 14. M. M. 13.* Num verò & viduæ & virgines quoque molas excernere ſo leant, rogati, reſpondemus: impropriè ſic dictas ſive nothas.



EXERCITATIO XI.

DE CAUSIS SYMPTOMATUM QUALITATIS MUTATÆ, AC RETENTORUM ATQUE EXCRETORUM P. N.

I.

HActenus de Causis Symptomatum *Actionis læsæ* vidimus; nunc *Autor* nos deducit ad examen eorum, quæ supersunt, generum, nempè *Qualitatem mutatam* & *Retentorum* atque *Excretorum vitia.*

II. Qualitatem mutatam hîc non nisi eam consideramus, quæ per se actionem non lædit, quamque sensuum objecta p. n. in corpore nostro constituta producunt, uti videre est apud *Galen. l. de diff. symptom. c. 5.*

III. Sic *Visu* colores totius corporis, vel partium mutati percipiuntur; horum autem

causæ sunt humores vel naturâ tales, vel cor-
rupti, veluti cum icterus oritur vel à bile, (de
quâ superius dictum est,) vel à viperæ morsu;
sic Leucophlegmatia à pituitâ, esu cretæ, & si-
milium, producitur; Dentes quoque ab ali-
menti vitio, vel ab illis, quæ ventriculus eructat,
& flatibus, item *à Mercurio* peculiariter, den-
tibus infenso; lingua item à fuliginibus à
æstu febrili oriundis, denigrantur; quin &
ungues eodem modo inficiuntur & decolo-
res redduntur.

IV. *Auditu* vox mutata & insolens sonus,
uti sunt murmur, strepitus, dentium stridor &
& similia, à partium formationi Vocis, sono-
rumque generationi dicatarum dispositione
p. n. oriundi, cognoscuntur.

V. *Odoratus* mutata qualitas est foetor
omnis & graveolentia, ubi homo vel ex toto
corpore, vel ex parte aliquâ, ut ore, naribus,
auribus, alarum regione, inguinibus vel pe-
dibus pravum spirat odorem: pertinet huc ex-
emplum virginis, cujus meminit *Autor T.*
Oper. Medic. p. 553. quæ aliâs sana, intolerabilem
putrescentis cadaveris fætorem è toto corpore
expirabat. Fœtoris autem è toto corpore ori-
un-

ndi, præter temperamentũ calidum & humidum, non raro ſcorbutus fomes & cauſa exiſtit: c etiam in reliquis dictis partibus excrementiorum humorum copia, & corruptio utramue paginam implet.

VI. *Sapores* mutantur, quando ſputum, el alia quæ ad os defluunt, vel per id expuntur, acerba, amara, ſalſa, vel aliter guſtui bferuntur. Has verò qualitates, cum non nt partium corporis, ſed excretorum, comodiùs *Excretorum* & *Retentorum* albo inribi quidam autumant, cum quibus equidem on litigabimus.

VII. Circa *Tactum* deniqúe qualitates utantur, ubi corpus vel ſecundùm totum el ſecundùm partem, p. n. calidius, fridius, &c. durius, aſperius &c. redditur: quas ıalitates omnes huc pertinere, quatenus nſibus in corporibus ægrotantium deprenduntur, & variis morbis originem ſuam abere poſſunt, *Autor* benè & utiliter moet, cum quo itidem conſentimus, quando & mmunium ſenſibilium nos habere ratioem vult, quandoquidem & hæc, æque ac nſibile proprium, per morbos diverſos, uti

in figurâ patet, in ſtatum p. n. tranſmutari poſſunt.

VIII. Ex hiſce patet, utrosque verum dicere, & qui *triplex* Symptoma in qualitate mutatâ, & qui *quintuplex* ſtatuunt; illi enim reſpectu *ſubjecti*, hi vero reſpectu *ſenſus externi* ita cum *Galeno d. l.* decernunt.

IX. Circa *Excretorum* & *Retentorum* verò ſymptomata non ad ipſam excretionem ſive excernendi actionem, ſed tantùm ad materiam, quæ excernitur, & à ſtatu naturali ſecedit, reſpici debere, exinde facile colligitur, quod aliâs ipſa ſive excretio, ſive retentio, ſi vitiosè fiat, ad actionum potiùs læſarum ſymptomata pertineat.

X. Sanguinis excretionem dum toto genere p. n. dicit *Autor*, id non tàm reſpectu ipſius vitæ theſauri, quàm potius reſpectu *modi*, & *loci*, quo & per quem profunditur, intelligendum eſt; pariter, quando ab affectu *Venarum* p. n. proximè hanc excretionem dependere docet *Autor*, eatenus benignè recipi debere cenſemus, quatenus φλεβῶν nomine omne vas ſanguinem, ſanguinisque materiam vehens intelligi poteſt. Neque eſt ut quis dubii

ubitet de latiore hujus nominis ſignificatio-
ie : φλέβας γὰρ, teſte *Erotiano*, οἱ ἀρχαῖοι καὶ τὰς
ρτηρίας ἐκάλουν : Conſentiuntque teſte *Galen.*
. *Epidem.* 6. quotquot commentati ſunt
n libb. Hipp. Venas non ab illo ſolùm,
λλὰ καὶ ὑπὸ πολλῶν ἄλλων παλαιῶν ὀνομάζεσθαι καὶ τὰς
ρτηρίας.

XI. Cur verò hîc excipiatur ſanguinis
uxus, Criticus qui vocatur, & naturæ robore
erficitur, facilè videt, qui diſcrimen inter
ὰ τῆς φύσεως ἔργα, καὶ συμπτώματα intercedens, eô
uo par eſt modo, videt.

XII. Nec lunare tributum, niſi limites
naturâ præfixos tranſcendat, συμπτωματικὸν
ici debet, cùm vel maximè κατὰ φύσιν, ex na-
uræ providentiâ ſequiori ſexui conveniat:
d *non fluere*, vel *diminutè*, vel *depravatè*,
oc jam ſymptomaticum eſt.

XIII. Unde verò ſanguinis & fluxûs
nenſtrui vitia dependeant, & ſanguinis & vaſo-
um conſideratio facilè docebit: hic enim ſive
bus ſive ater, fœtidus, flavus, aquoſus &c.
pparuerit, vel χύλωσιν vel αἱμάτωσιν, aut *orga-
i*, aut *objecti* culpâ læſam; hæc verò p. n. *com-
ſitionem* non obſcurè oſtendent.

XIV. Vomitus, quà actionem vel motum depravatum dicit, alterius loci eſt, at habito reſpectu ad *materiam* quæ excernitur, ſymptoma in excretis eſt; ubi id omne quod excernitur, quatenus vel *ſubſtantia* peccat, vel à naturâ, quoad *qualitatem* aut *quantitatem* abit, ſub præſentem cadit conſiderationem.

XV. Quando verò talis materia moleſtia non ſolùm vomitu, ſed etiam dejectione, adeoque ἄνω καὶ κάτω rejicitur, *Cholera* oritur, quam utriusque orificii ventriculi irritati motus producit. Jrritationem autem hanc à ſpecificâ quadam & occultâ corruptione fieri, alia quæ concurrere ſolent, συμπτώματα non parùm confirmant.

XVI. Inteſtinorum fæces dum omnimodè retinentur, cum dolore & vomitu concurrente, malum oboritur, quod *Volvulum* ſeu *Ileon* vocant, cujus cauſam ἄμεσον ſtatuimus motum facultatis inteſtinorũ περισταλτικοῦ cum convolutione, nonnunquam etiam mutuô ingreſſu, & τῆς συνεχείας λύσει fiente, atque βιαίως καὶ ταχέως agente.

XVII. Porro excretæ fæces dum qualitate peccantes, calidæ, nigræ, rubræ, flavæ, albicantes

cantes, duræ, acres, & ſpumoſæ apparent, jam variis nomina vitiis imponunt, & caloris partim debilitatem, aut fortitudinem, partim rei admiſtæ contrariæ varietatem, partim etiam facilem aut difficilem ciborũ tùm concoctionem tum corruptionem innuunt.

XVIII. Ad Excretorum toto genere p.n. claſſem pertinent & *Calculi* & *Vermes*, de quorum generatione *Exerc. 6. Th. 18.* nonnulla inſeruimus; cæterùm qua ratione huc pertineant, & quà ſub cenſum cauſarum morbificarum veniant, ex dictis facilè liquet

XIX. Velox eorum, quæ bibuntur, tranſitus, ubi talia mejuntur, qualia pota ſunt, *Diabeten* conſtituit, cujus commodam explicationem vaſorũ lacteorum & lymphaticorũ commercium ſuppeditare, Anatome ὀφθαλμοφανῶς docet, ut opus nõ ſit confugere ad aëris in arteriis reſolutionem, quam nonnulli adducunt.

XXII. In *Catarrho ſeu defluxione Cerebrũ* unicè accuſare ſolitos eſſe Medicòrum plerosque, notum eſt: neque id ſine veterum autoritate factum cernimus. Ipſe *Hippocr.* vel quicunque autor *libr. de princip.* vel *carnib.* non aliam ob rationem Cerebrum μητρόπολιν τῆς

ψυχῆς

ψυχρῦ καὶ τῦ κολλώδεως vocavit, & ab hac ſententiâ vix latum unguem diſcedit *Galenus*, expreſsè enim *lib. 3. de Sympt. cauſ. c. 4. Catarrhi*, inquit, *& coryzæ cauſa eſt cerebrum, cùm perfrigeratum quidem eſt, &c.* & *lib. 6. de tuend. ſanit. c. 12.* in catarrhorum curatione ad cerebrum, utpote à quô excrementa decidunt, reſpiciendum eſſe monet. Verùm enim verò laudiamus veteres, ſed noſtris utimur annis, ubi Virorum de re medicâ optimè meritorum induſtriâ, ſeculique felicitate edocti ſcimus, nec caput, neque cerebrum in eo contentum, neque ejus partes pro termino à *quo* hîc venditari amplius poſſe, vel debere, ſed potius in *Sanguineâ maſsâ* quærendum eſſe, quod antiqui in Cerebro ſe jamdum inveniſſe perſuaſum habebant.

XXI. Ad ſingularia partium quarundam contenta pertinet etiam *lac mammarum*, quod non tam *ſanguinis*, quàm *chyli* ſobolem eſſe firmiſſimæ, ùt nobis videntur, rationes evincunt. Hinc unde tùm abundantia lactis, tùm defectus illius ſit, facili negotio expediri poteſt: nobis verò, ut hoc negotium expediamus, chartæ anguſtia non permittit.



EXERCITATIO XII.

DE DOCTRINA SIGNORUM IN GENERE, ET DE SIGNIS DIAGNOSTICIS INSALUBRIBUS IN SPECIE.

I.

MAgna methodi Semeioticæ utilitas eſt atque neceſſitas. Licet enim neceſſaria non ſit ob cognitionem curationis, nihilominus tamen ob curationem ipſam maximè neceſſaria eſt.

II. Nonnulli exiſtimant, de ratione & ſentiâ ſigni eſſe, ut ſit cognitum ſenſu; Verùm nos aliter opinamur, ſiquidem multæ res poſſunt eſſe ſigna, quæ tamen non ſunt cognitæ ſenſu, poſſunt enim eſſe cognitæ intellectu. Interim pleraque ſigna & ſenſu cognita, & quæ ita habent, optima eſſe, libenter concedimus.

 Qui

III. Qui vero apud Medicos alia esse signa, quàm apud aliarum disciplinarum scriptores, censent, à vero aberrare nobis videntur, nisi materialiter & quoad applicationem illorum explicetur sententia. Cæterùm signum, uti in aliis disciplinis, ita quoque in arte Medicâ notum quid est ignoti manifestativum; vel, quicquid manifestius existens, in cognitionem illius, quod est occultius, ducere nos potest.

IV. Nulla res potest esse signum alicujus rei, cum quâ non habeat connexionem aut dependentiam: aliter si esset, omnes res omnium essent signa, & indistinctè unumquodque posset esse signum alterius, quod tamen manifestè falsum. Intelligi autem hæc de signis naturalibus, non artificialibus debent.

V. Præcipua vero dependentia atque conjunctio, quæ inter res intercedit, est ratione cujusdam mutuæ causalitatis, quam habent inter se, quòd una scilicet vel sit causa, vel effectus alterius, vel duo effectus ejusdem causæ: hinc est, ut, quæ mutuam quandam inter se causalitatem habent, illa se mutuò maximè sign-

ignificent ; & ſic præcipua virtus ac ratio ſi-
gnificandi à quadam cauſalitate, quam habet
ignum cum ſignato, dependet. Hinc quic-
quid eſt cauſa vel effectus alterius, eſſe etiam
lterius ſignum poteſt.

VI. Cum præterita ideò in memoriam
evocentur, ut vel præſentes diſpoſitiones
melius innoteſcant, vel futuri earum even-
tus prævideantur, non incommodè ſigna
ναμνηστικὰ ſub diagnoſticis & prognoſticis com-
prehendentur.

VII. Signorum generales fontes ſunt
ſſentia, *cauſæ* & *effectus*. Si quæ forte alia
occurrunt, eò reduci queunt. Eſſentiam vero
medicè hîc atque latè accipimus, & illius no-
mine non ſolùm rei ipſius formam, ſed etiam
genera, differentias, partes, & proprietates, ſi-
ve eſſentiales ſint, ſive accidentales, uſur-
pamus.

VIII. Quamvis autem in ſingulis rebus
dignoſcendis ex omnibus fontibus ſigna
hauriri non poſſunt, nihil tamen propterea
illorum utilitati decedit, immo tantò uberio-
res quilibet prorudit rivulos, ita ut nunc ex
ſolis effectibus, nunc à cauſis, nunc ab ipsâ

essentiâ signa necessaria sufficienter suppeditari animadvertamus.

IX. Ex signis quæ proponuntur, alia quidem magis, alia minus efficaciter indicant, sed tamen ex omnium collectione, res quam inquirimus, certò demonstratur: interim perpetuò ferè ab effectis multò plura & certiora signa, quàm à reliquis duobus fontibus desumuntur.

X. Signorum divisionem, quâ in anamnestica, diagnostica, & prognostica dispescuntur, non admodum bonam quis pronunciare posset, ex eô quòd illius membra ita distincta non sint, ut unum alterum esse nequeat id quod tamen aliâs ad bonam divisionem requiritur: Hic vero membra divisionis sæpe coincidunt, & unum idemque signum diagnosticum & prognosticum &c. esse potest. Sed facilè solvitur hic nodus, siquidem dicta signa necessariò differre non debent, sed sufficit, si secundùm rationem differant.

XI Cùm signa pathognomonica duo habeant: & quòd essentiam morbi indicent, & quòd cum morbo oriantur, dubitari potest, in utro horum essentia consistat? Nos consistere

ſtere opinamur in indicatione ſpeciei morbi, minimè verò in eò, quod ſimul appareant, id quod vel ex nomine τῦ παθογνωμονικῦ patet.

XII. Licet in aliquibus morbis unum ſolum ſignum per ſe ſumtum eſſe poſſit ſignum pathognomonicum, id tamen non neceſſariò in omnibus requiritur; Quin immo in aliquibus morbis nonniſi valdè multa ſigna ſimul ſumta morbi demonſtrationem abſolvunt.

XIII. Partis affectæ ſigna ex quinque fontibus deſumit *Galen.* & ex eò *Autor* idem docet; non id quidem damnamus, attamen ad tres illos ſupradictos commodè referri poſſe, ſicque memoriæ magis conſuli opinamur.

XIV. In quibusdam tamen morbis partem affectam determinare, rem non adeò facilis negotii eſſe, eò lubentius concedimus, quò plures nunc exortas videmus de partibus affectis in nonnullis morbis ſententias, quas Recentiorum diligentia, curaque accuratius in quarundam partium actionem & uſum inquirens, cum magno Artis incremento, ùt ſuppeditavit, ita & confirmavit.

XV. Benè, & ad rem *Seneca*, *Epiſt.* 57.

Omnia vitia, *inquit*, in aperto leniora sum morbi quoque tunc ad sanitatem inclinam cùm ex abdito erumpunt, atque vim suam proferunt.

XVI. Quà morbi specie æger laboret docet *Galen. l. 1. de loc. affect. 5.* colligi ex *symptomatibus propriis, excretis, loci naturâ, & doloris proprietate.* Quid verò obstat, quò minus ex prædictis supra fontibus idem hauriamus?

XVII. Non enim solùm morbi species sed & adjuncta, *magnitudo* sc: *qualitas, motus* & *tempus* per diagnostica signa invenienda sunt; ex quo non obscurè patet, signa *cruditatis*, & *coctionis*, malè ad sola prognostica signa referri, neque meliùs, τὰ συνεδρεύοντα, ἐπιφαινόμενα καὶ ἐπιγινόμενα eôdem pertinere, à quibusdam censeri.

XIIX. Signa *distinctiva*, quorum subsidio diversi affectus, magnam inter se symptomatum similitudinem habentes, discernuntur, tantò accuratius examinanda sunt, quantô periculosior illorum neglectus esse consuevit.

XIX. Cùm causa noxam inferens in curatione necessariò præcognoscenda sit, me-

ne

ente *Galen. 5.de placit.4.* artificioſo ſignorum χασμῷ maximè hîc opus eſt : interim videnur hæ fontes illos maximè agnoſcere. Num rgo aliunde hauriendum , quod huc confeat ? Non arbitramur.

XX. Quando *Plethoram* diſtinguunt in am , quæ eſt πρὸς δύναμιν, & quæ πρὸς ἀγγεῖα, on levis oboritur difficultas, quandoquidem ulla plethora vera ad *vires* obſervatur , quæ on ſimul etiam ad *vaſa* ſit. Parva enim copia nguinis, quæ vaſa haut diſtendit, queî quæſo ribus moleſtiam afferat ? Quin potius tùm, uando citra vaſorum diſtenſionem ἡ δύναμις uodammodo labefactatur , cacochymiæ exrdia gliſcere, ſignorum oracula ſi conſulamus, eprehendere dabitur.

XXI. Cacochymia uti diverſa eſt , ita uoque diverſa obtinet ſigna. Veteres quidem onniſi cacochymiæ *bilioſæ, pituitoſæ,* & *melanbolicæ* mentionem faciunt ; Ex recentioribus men non pauci quartam adjecerunt ſpecim , quæ cacochymia *ſeroſa* , â ſero humore in lâ prædominante , dependens vocitatur ; & nè non fruſtrà hanc reliquis annumerari , orbutus, aliique affectus ſeroſi plures, haut diffi-

difficulter evincunt. Nec minus *Serum* ſuis ſeſe prodit indiciis, quæ tanto accuratius ab aliis diſtinguenda ſunt, quanto intimius hoc περίττωμα, veluti quodpiam menſtruum univerſale omnium humorum tincturas in ſe ſuſcipit, & bilioſum, ſanguineum, lacteum, nigrum, immo varios & mixtos ſæpè colores repræſentat.

XXII. Sunt vero *ſeri* abundantis ſigna oppidò multa, ubi ſputatio multa, ad ſudorem magna pronitas, facies, pedesque œdematoſi, pruritus multus per totam cutem ſine ſcabie aut puſtulis, ſitis, & ἀτροφία primum locum obtinere videntur; quibus levamen ab Hydragogis perceptum coronidem quaſi imponit.

XXIII. Inutilibus verò ægrum quæſtionibus ut ne oneremus, rerum ſecundùm & p n. ſeriem prudenti brevitate percurremus, recordantes ſubinde aureæ illius ſententiæ, quâ *Hippocrat. libr. de affect. tx 36.* interrogare jubet: ἃ πάσχει, καὶ ἐξ ὅτου, καὶ ποσταίως, καὶ τὴν κοιλίην εἰ διαχωρέει, καὶ δίαιταν ἣν τίνα διαιτᾶται;

Sic commendatæ nob. ab *Hippocr.* βραχυλογίης laudem καιρῶς, nec ſine laude noſtrâ, aſſequemur.



EXERCITATIO XIII.

DE PULSIBUS.

I.

CUm Facultas & vires tùm in præſenti ſanitate tuendâ, tùm etiam in abſenti ſeu labefactatâ reſtituendâ primum locum obtineant, & mediante pulſu facultatis robur atque debilitatem, teſte *Galeno l. de curand. rat. per ſangv. miſſ. c. 5.* cognoſcamus, non obſcurè patet, quantum interſit Medico, ut doctrinam de pulſibus cognitam perſpectamque habeat.

II. Pulſus equidem primariò Cor ipſum, ac vitalis facultatis conditionem ac robur concernit, conſequenter tamen totius corporis conſtitutionem declarat: Illius enim pulſificâ virtute vita in univerſo corpore fovetur, omnibusque partibus actualis calor communi-

municatur, hinc denique animalis & natur
lis virtus in corpore sustinetur ac viget. Hin
motus hic κατ' ἐξοχὴν *vitalis* dicitur, vel quo
vitam immediatè sequatur, vel quod vita sii
eò minimè perduret.

III. Ut verò nemini *cordis* motus, quem
Pulsum vocamus, non notus habetur, utpo
sensibus externis obvius, sic vera illius rati
multis semper difficultatibus involuta fuit, di
nec sanguinis circuitus inventus illis, quib
talia præprimis curæ cordique sunt, veluti f
culam prætulit, eosque in rem præsente
duxit.

IV. Est itaque *Pulsus* motus quidam
Cordis proprius, constrictione illius ac dilat
tione, concurrente geminâ inter hasce quie
seu morulâ, constans, ac partim à peculia
Cordis facultate, partim à sanguinis aliunde
ipsum influxu dependens. Hinc autem simil
quoq; motus arteriis, per sanguinis sc. recipr
crum in illas impulsum, atque ex iisdem in v
nas transgressum communicatur.

V. Facultatem Cordis qui pro com
mentitiâ habent, solique sanguinis impul
pulsum hunc deberi volunt, invitâ plane N
tu

urâ naturam cordis præterire videntur. In
erim ſatis luculenter hæc in συστολῇ, conſtri-
ione cordis, apparet, dum in διαστολῇ ſangui-
is ſe præſertim natura prodit.

VI. Certè tam ordinatæ recipocratio-
is, & iteratę contractionis ratio aliunde, quā
ipſo Corde, inſitâ facultate ſeſe contrahen-
, ac materiam turgeſcentem propellendo
lteriorem ſui diſtenſionem inhibente, deſu-
i nequit, neque quicquam evincere eos opi-
amur, qui, ut omnem cordi ab inſitâ facul-
te motum derogent, in vivi cordis diſſectio-
e illas duntaxat partes, quæ verſus baſin il-
us conſpiciuntur, aliquamdiu pulſare, quòd in
as aliquid novi ſanguinis ex vaſis, & quæ his
hærent, auriculis influat, partes verò quæ ad
ſpidem ſunt, non pariter movere perhibent;
ngè enim aliud experimenta & obſervata ve-
ſſima loquuntur.

VII. Sed quorſum hæc? dicet fortè
quis, cùm alterius potius loci videantur?
empè ut de pulſuum *differentiis*, quas multis
fficultatibus etiam nunc involutas eſſe auto-
m diſſenſus docet, commodius, dilucidius-
e ſententiam dicere queamus.

N 2 VIII.

VIII. Tria igitur circa *Pulſum* accurat cognoſcendũ conſideranda veniunt, *1. Facultas* ipſa, quæ movet, pulſumque efficit, *2. Inſtrumentum*, quô Pulſus peragitur, explorationi tactus expoſitum, nimirum *Arteria*; & *Neceſſitas* hujus motus, quâ ipsâ facultas ad movendum concitatur atque impellitur.

IX. Hæc nobis inſtar cynoſuræ eſſe poſ ſunt, ſiquando otioſa ἀκρίβεια in variè excogitatas pulſuum differentias ſeſe diffundit: ut enim pro horum omnium ac ſingulorum diverſitate diverſimodè mutatur Pulſus; ita ab iisdem quoque veluti fontibus ſimplices ac abſolutæ differentiæ (è quibus poſtmodum compoſitæ & relativæ fiunt) commodè, ut quidem nobis videtur, & compendiosè petuntur. Quod ſi enim Galenum hîc ducem ſe qui animus fuerit, veriſſimum deprehendemus, quod alii de eô judicium tulerê, multa ſcil. mentem ingenioſam confinxiſſe, quæ ſenſus aſſequi nequiverit.

X. Igitur *Facultatis* ratione pulſus alius *vehemens*, ſeu *validus*, alius *languidus*, ſeu *imbecillus*, alius *mediocris* exiſtit, prout vel validè vel languidè, vel mediocriter tactum ferit.

XI.

XI. In *Inſtrumento* ſeu *Arteriâ* ſubſtantia & contenta ſpectantur. Ratione *ſubſtantiæ arteriæ* pulſus eſt vel *mollis* vel *durus*, vel *mediocris*, prout arteriæ tunica vel tenera & laxa, vel rigidior ac durior, vel mediô modò deprehenditur. Ratione verò *Contentorum* in arteriâ alius pulſus *plenus* eſt, quô non modo ampla ac turgida, ſed perfuſione ſanguinis & ſpiritus plena deprehenditur arteria ; alius *vacuus*, quô licet utcunque turgeat arteria prementibus digitis, nihil tamen, ſolidum firmumque quod ſit, ſubſiſtere advertitur ; mediocris horum medium tenet.

XII. A *Neceſſitate*, ſeu Uſu,(quem cauſam pulſus generantem ſeu efficientem eſſe, quidam negant, ejuſque loco objectum vel ſanguinem, unà cum iis, quæ in eô continentur, ſubſtituunt) uti motus ipſe facultati injungitur, ita pendet ab eâdem *quantitas motus*, *tempus motûs* ac *tempus quietis*, quæ inter contrarios motus intercedit. Sic ratione *quantitatis in Motu*, pulſus vel *magnus eſt* vel *parvus*, vel *mediocris* : ratione *temporis motus* vel *celer* vel *tardus*, vel mediocris ; ra-

tione tandem *temporis quietis* alius *creber* vel *frequens*, alius *rarus*, alius *mediocris*.

XIII. Atque hactenus *ſimplices* & *abſolutas* pulſuum differentias delibavimus, ad quorum exemplum *compoſiti* pulſus dijudicandi veniunt. Ad relativas verò pulſuum differentias conſtituendas ſpectari ſolet *æqualitas*, *ordo*, & *Rythmus*. Sed jam plus ſatis; nec eſt, ut pulſum *undoſum*, *ſerratum*, aliosque quos nonnulli in rerum naturâ dari planè negant, nos verò mente potius concipi, quàm manu indagari poſſe, perſuaſum habemus, in utiliter addamus: nullius enim in Σημειωτικῇ habenda pulſus ratio eſt, niſi qui ſenſu ipſo deprehendi poteſt, cùm quæcunque ratione finguntur, extra artis uſum eſſe conſtet.

XIV. Amorem ex pulſu probabiliter aliquando deprehendi poſſe, qui ſtatuunt, nobis non contrariantur, qui, cùm idem etiam de aliis affectibus, quibus determinatus pulſus non aſſignatur, dici poſſit, ne quidem amatorium dati proprium putamus.

XV. Pro diverſitate temperamenti ætatis, ſexûs, vitæ generis, temporum anni, regionum, tempeſtatum, morborum, horumque

cau-

causarum variè pulsus mutari lubenter quidem concedimus; quòd verò omnes illæ differentiæ solo pulsus tactu dignosci, & quidem solidè ac sufficienter possint, minimè arbitramur.

XVI. Pulsum intermittentem non semper vitæ periculum portendere, sed quibusdam naturalem esse, multosque cum deterioris notæ pulsu jam inde à primo ortu vitam suam ad adultam senectutem produxisse, tàm certum est, quàm certò pulsus retractus & convulsivus semper suspecti sunt, semperque imminens aliquod discrimen denunciant.

XVII. Licet admiranda ex pulsu promittant *Ægyptij* & *Sinenses*, nihilominus tamen haut temerè ex pulsu solo judicandum esse statuimus, memores consilii quod *Celsus* dat, quando; *intueri quidem illa oportet*, inquit, *sed his non omnia credere.* Et facilè nobis subscribet, qui, pro diversâ corporis & animi constitutione variari pulsus & posse & solere, diligentius nobiscum considerabit.

XVIII. Hinc etiam facilè liquet, de pulsu naturali judicium minimè ferendum esse, dum externarum & incidentium causarum impe-

impetus & efficacia in corpore adhuc viget, &
præſens eſt, vel dum veſtigia operationis ea-
rundem in corpore producta, nondum ſopita
atque deleta advertuntur.

XIX. Neque ſpernenda præcepta atq;
monita ſunt, quæ de requiſitis ad pulſus co-
gnoſcendos neceſſariis, & tàm *Medicum*, quàm
Ægrum, ipſumque indagandi modum con-
cernentibus, à pleriſque inculcari ſolent, qui-
bus, quæ *Cardanus* in *Arcan. Politic. c. 92.* mo-
net, non ſuperfluè addentur.

XX. Non rarò pulſus ex oppreſſione
virium, ob plethoram, intercipitur; Quæ verò
à nonnullis de abolitô ad multos annos arte-
riarum motu recenſentur, non ſine dubitatio-
ne nos dimittunt. Digna interim ſunt, in quo-
rum cauſas accuratiùs inquiratur. Cæterùm
quod de ſignis ſuperiùs monuimus, ubi ſin-
gulorum collectionem commendavimus, id
præſertim in exploratione pulſuum locum me-
retur, ex quô ſolô Medicus famiæ ſuæ conſu-
lturus nunquam ſententiam dicet, ſed ſemper
& *Reſpirationem*, & *Linguam*, & *faciem* ægri
(nam hîc etiam *frons* & *oculi* loquuntur) idq;
generis alia in conſilium unà
adhibebit.



EXERCITATIO XIV.

DE

URINIS.

I.

APud *Æginenſes* Achaiæ templum eſt Cereris, ac fons proximus, in quem ægri poſt peracta ſacra deſpectantes, morbi valetudinisq; exitum cognoſcere poſſunt, uti ſcribit *Pauſanias*. Urinam ceu miſcrocoſmi fontem ſi medicus intuetur, meliori forſitan certitudine ad ſanitatis atque morborum cognitionem pervenire poteſt. Cum n. à ſanguine ſeparetur urina, pro illius variâ conſtitutione ipſa quoque plerumque variat, ejuſque indicium nob. præbet.

II. Quin & ſigna non ſolũ *coctionis*, & *cruditatis* jam ab antiquis temporibus ex urinâ deſumta, ſed etiam prognoſin quandam de eventu morbi, de ejus item longitudine & brevitate ex οὐροσκοπίᾳ factã fuiſſe, in *Hippocratis*, aliorum-

O que

que veterum ſcriptis vel leviter verſato igno-
tum eſſe non poteſt.

III. Neque nos planè improbamus
veterum hunc morem, hactenus quoque ob-
ſervari ſolitum; quin potius Urinæ inſpectio-
nem in diagnoſi ritè inſtituendâ non mini-
mum momenti afferre, ultrò largimur; Verùm
enim verò tantum abeſt, ut propterea omnem
omninò ægri conditionem, affectus ſpeciem,
cauſas, eventum &c. ex ſolâ urinæ inſpectione
hariolari medicum poſſe, vel debere cenſea-
mus, ut potius eos, qui ita ſentiunt vel faciunt
graviſſimè errare, & perfrictâ fronte nugari
ſtatuamus.

IV. Quidnam vero ex hoc latice præd-
ci queat, ex dictis non obſcurè patet, manifeſ-
uſve id urinæ examen accuratius docere po-
eſt. Ubi tamen notamus, *Paracelſum*, quando
libr. de urinar. judicio, urinam definit, quod ſi
ſal ab ingeſto nutrimento ſeparatus ſimulq;
recrementorum ventriculi, hepatis, renum
pars; interim tamen aliquam inſuper urinam
internam ipſi dictam, quæ non è nutrimento
ſed partium corporis omnium excrement.
confiat, agnoſcit, non minus à verò abi-
quàm

quàm ; qui totam urinæ maſſam non niſi ex potu alterato ; ſuisque accidentibus ſpoliato conſtare contendunt.

V. Meliùs rem explicant, qui Urinam liquorem excrementitium ex materiâ aquosâ ſcerosâ, particulis, ut cum chymicis loquamur, ſpirituoſis, ſulphureis & ſalinis volatilibus ac fixis, ut & terreſtribus conſtante, in viſceribus ſanguinis elaborationi ac depurationi inſervientibus elaboratum; ac renum tandem operâ ſecretum eſſe docent.

VI. Quando vero *color* ille *urinæ*, rutilum auri fulgorem in ſanorum urinis repræſentans, neque ad *ſal.* neque ad *aquam*, neq; etiam ad *calorem* (licet quidam pro eô valde dimicent) revocari poteſt, non indignum ulteriori inquiſitione eſt, undenam id, quod tincturæ inſtar urinæ remixtum, hujus eam colore imbuat? Sunt qui partem ſtercoris liquidi à cremore in fine Ilei, ubi incipit ſtercoreſcere, ſeparatam, indeq; per venas meſenterii lotio inſperſam adducunt & accuſant, verum enim verò quod nuſquam eſt, fingere videntur: Magis nobis arridet, cum *Autore*, ſententia *Galeni*, quæ 3. *de ſympt. cauſ.* 4. flavæ bilis portionem, urinæ ſi

permiſceatur, colorem huic aureum concilia[re] docet. Sed utrumvis tandem dicatur, ſive bili inquam, ſive *ſali* attribuatur color, pronunciatio eadem conſtabit.

VII. De *luciditate*, quæ in urinâ apparet, quidam ita ſentiunt; adſcribendam illam eſſe vaporibus in urinâ exiſtentibus, tùm etiam ab æquali partium urinæ mixtione provenire alii vero ſpirituoſam hîc agnoſcunt ſubſtantiam, utpote quæ ex odore & ſplendore ſuô ſeſe manifeſtè prodat, & reliquam quoque molem per ſe aliâs obſcuram, illuſtret ſ. lucidiorem reddat. Nob. poſterior placet ſententia, idque eô magis, quòd ubi magna ſpirituum jactura facta eſt, quod præſertim in moribundis evenit omni luciditate urina depauperata deprehenidatur.

VIII. Quid vero ſibi vult *Hippocrates* quando *Epidem. 6. ſect. 5. tx. 23.* Γλῶσσα, inquit οὖρον σημαίνει: an fortè ex linguâ judicium de urina nos jubet deſumere? Minimè quidem; sed potius linguam præſignificare vult, quales in corpore humores abundent.

IX. Quantitatem urinæ potui aſſumto quantitate reſpondere debere, quando docet

Gale-

Galenus, id non ita explicandum eſt, quaſi coſmocritico circino omnia punctim notari debeant, ſed ſervata convenienti (immo aliquantò minori) proportione. Et ſic Galeno facile ſubſcribere poſſumus.

X. Proxima ſedimenti materia quænam ſit, nondum planè diſcuſſum eſt. Eorum nobis verior videtur opinio, qui reliquias ſeu excrementum tertiæ coctionis hîc pro materiâ dictâ agnoſcunt. Interim bene *Hippocr. 2. Præſag: Hæc urina*, inquit, *optima, cujus ſedimentum eſt candidum, leve & per omne tempus æquale*. Hinc in ægris convaleſcentibus quamdiu ſedimentum ſubrubrum apparet, nondum perfectè reſtitutæ in integrum ſanitatis indicium eſt.

XI. *Vrinæ coronam* ſeu *circulum* nihil aliud quâm lineam per umbram depictam eſſe, quæ urinæ ſuperficiem in circumferentia vaſi urinario adhærentem cingit, ſtatuimus; eoſque qui bullas per omnem urinæ coronam diſpoſitas, totius capitis dolorem, per medietatem verò hemicraniam ſignificare volunt, æquè nugari judicamus, ac illi faciunt, qui pro quadruplici humorum ſede, ſanguinis videlicet in

fronte, flavæ bilis in dextro tempore, pituitæ i occipitio, atræ bilis in ſiniſtro tempore coro nam, quæ prædominantis humoris index pe hibetur, inſimul harum partium dolorem, & affectus ſignare garriunt.

XII Uti dari oleaginoſas urinas conce dimus; ita non ſtatim exinde tabificæ conſum tionis ſigna deſumi debere, vel poſſe, cenſemu non obſtante *præſagio Hippocr. 2. Præſag. ſem* 35. Adde quòd decipi quis facilè hîc poſſit, u pinguedinem primò adſpectu eſſe putet, quo non niſi ſalini generis concrementum (qua ſc. in aquæ ſuperficie, dum Tartarus coquitu apparet) fuiſſe, reipſa penitius conſideratâ po modum edoceatur.

XIII. Ex urinâ ſolâ, mulierem grav dam eſſe, uti cognoſci nequit, ita pronuncia non debet. Neque nos movet, quod autor quidam proprias & peculiares uterô gerent um urinas deſcripſerint, ipſeque eventus ſæpi reſponderit. Quin nec illi quicquam apud n obtinent, qui, urinam per omnia totius corp ris, & conſequenter etiam ipſius uteri, va diffuſam eſſe urgentes, eorum quoque, quæ utero geruntur, indicia præbere certa po opinantur.

XIV. II

XIV. Pariter contingere poteſt, ut
ne quidem humorum pravorum apparatus in
corpore exiſtens colligi ex urinâ inſpectâ que-
at, id quod in morbis malignis experientia ſatis
confirmat, ubi ſæpe urina bona, pulſus bonus,
& tamen æger moritur.

XV. Urinæ inſpectionem *Geomanti-
am* homine Chriſtiano indignam judicamus;
Quid enim, quæſo, aſtris, aut animæ mundi &c.
cum homine urinam pro lubitu hanc vel aliam
ferente, aut mittente, & ipſo in conſilium vo-
cato Medico commune eſſe poteſt?

XVI. Ubi cum dolore arenulæ min-
guntur, calculum quandoque tum renum, tum
veſicæ eas minitari, experientia teſtatur; verum
& hæc ipſa non ſemper ita habere, docet, præ-
ſertim ſi dolor abſit, atque illæ arenulæ in ipſa
ſanguinis generentur maſſâ, id quod ſcorbuti-
cis admodum familiare eſt, quorum ſæpè ſan-
guis usque adeo iſtiuſmodi arenulis abundat, ut
non tantum copiosè cum urinis prodeant,
ſed & poſt ſudorem in cute, quæ eſt in vola
manuum, aliiſque partibus appareant.

XVII. Licet *Avicenna*, & *Avenzoar*
teſtentur, â demorſis â cane rabido urinam
mingi

mingi,in qua res carnosæ mirabiles,& quasi ca- nes parvi appareant; sintque insuper viri docti qui hoc non esse impossibile, vel propterea ju- dicent, quòd compertum habeatur, ex spum canis rabidi linteo aut vesti inhærente anima- cula,quæ parvis catellis similima, generata fui- se; nihilominus tamen nondum possumu Arabum sententiæ subscribere, neque ratio- nem allatam, si vel maximè veritati respondi- ret, tale quid, quoad urinam, evincere posse ar- bitramur.

XVIII. Sed quid tandem de illis sen- tiendum,qui etiam sexum ex urinâ se cogno- cere gloriantur? idem prorsus,quod de illis, qu omnia se scire ex urinæ inspectione posse, pl- beculæ persuadent. Næ! nimium intelligend faciunt, ut nihil intelligant. Interim non sin ratione *Pincier,in otio Marpurgensi*, istiusmo- Thrasonicum Uromanten ita alloquitur:

Cur lotium absque conspicillo judicas,
Et nummulos per conspicilla noscitas?
An cura major est tibi pecuniæ,
Quàm quâ salus ope languido reddi queat,
Fidei tuæ vitam suam qui credidit?



EXERCITATIO XV.

DE

SIGNIS PROGNOSTICIS.

I.

QVandoquidem teste *Hippocr.* ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύσει, non injusta quorundam querela est, multos nimis parcè de signis παθογνωμονικοῖς loqui: an erò proptereà quoque arguendi illi ipsi sint, uod tàm fusè de signis *prognosticis* agant, merò dubitatur. Sit enim, uti quidē volunt, pronosis fallax, nonne in docendis amovendisq; ve fallaciæ hujus, sive difficultatis causis pous prolixum esse, quàm silere, præstat? præstat nè, quandoquidem nihil præclarius existit in te Medica, judice *Coo l. 1. Epidem.* quàm γειν τὰ προγινόμενα, γινώσκειν τὰ παρέοντα, προλέγειν τὰ ἐσόμενα.

II. Quin etiam utilitas hujus Medicinæ

P partis

partis, ita ut faciamus, suadet, duplicique nomine se maximopere necessariā ostendit, tùm quòd ad tuendam artis & artificis autoritatem plurimùm conferat, tùm & quòd illius ductu & beneficio, quibus manum adhibere malli Medicus debeat, quibus vero non, egregiè eluscescat, uti apud *Hippocr. in libb. prænot. & aliis videre est.*

III. Neque enim prudens Medicus istiusmodi ægritudinū, quas insanabiles cognoscit curationem facilè aggredietur, ne ars & medicamenta, quæ multis profuerunt, hac ratione diffamentur, & (uti ipsâ jam *Hippocratis* ætate fieri consuevit) si res pulchrè succedat, sive *Naturæ*, sive *Fortunæ* adscribatur, sin aliter eveniat omnis in artificem, remediumque culpa transferatur.

IV. Interim haut planè relinquendi sunt prognostico ægri, quin potius, quæ *Hippocr. l.* de *art.* & alibi, uti & *Galenus* passim severiori fronte inculcant, Christianâ charitate temperari debent: Medicusque, etiamsi certis indiciorum argumentis colligat, graviorem esse morbum, quàm ut Artis naturæq; officio tolli possit, gratiosi Theurapeutæ munus minimè negli-

negliget, sed potius omnia experietur, atq; sic expectabit, num fortè Natura in centrum suum reduci queat. Ut ne verò fama ejus unà cum vitâ ægri periclitetur, periculum maturè indicabit; sic apud prudentiores facilè excusabitur. Optime *Hipp. libr. de articul. Prædictiones*, inquit, *splendidæ sunt, ac gloriosæ, ex cognitione quò & qualiter, & quando singula desinent, sive eò vertantur, ut incurabilia fiant, sive curationis spem exhibeant.*

V. Fontes verò signorum προγνωστικῶν potissimùm suppeditant & *Morbus* & *Ægrotans*: utrobique *præterita* & *præsentia* conferenda veniunt, estque observanda *similitudo* & *dissimilitudo*, autore *Hippocr. 1. prognostic. & Galen. 9. de Plac. c 2.*

VI. Tria verò Medico prænoscenda sunt, docente *Galen. 4. de præsag. ex puls. c. 11. Eventus morbi*, *Tempus*, & *via eventus*: quorum unum quodque eò certius prævidebit, quò morbi & naturæ robur accuratiùs cognoverit.

VII. Quoad *morbum*, optumum *Autoris ex Galeno* monitum est, quô futurorum præcognitionẽ ex affectionum exquisitâ cognitione

colligendam esse innuit. Ipsa etenim vel soll morbi species, si probè cognita fuerit, quoad magnitudinem, morem, & motum ejus, non rarò plurima nob. veluti uno intuitu ostendit. Non rarò, inquam. Aliâs verum esse, quod *Autor* th. 31. docet, ultrò largimur.

VIII. *Eventū morbi*, ad quem tota prædictio dirigitur, prę reliquis natura subjecti docet: licet enim & morbi robur, uti ex modò dictis constat, hîc considerandum sit, ad ægrum tamen viresque ejus maximè respiciendum esse non sine ratione *Autor* monet: ægrum enim nisi intus, quod dicitur, & in cute cognitum habuerit Medicus, aut cui ferendo sint vires, sciat quid quæso certi de eventu morbi prædicet?

IX. Hîc itaq; & *functiones* & *excreta* aliaq; veniunt examinanda; ubi quidē functionibus, cum *Autore*, primum concedere locum, nullis dubitamus: interim & hoc asserere nos vult rei veritas, *excreta* non rarò, pręsertìm ubi *coctionis* & *cruditatis* examen instituitur, coincidere, ipsarumque functionū constitutionem & vim, soricis instar, prodere.

X. Non incommodè eorum hic refricatur memoria, quæ circa *Vrinam* & *Pulsum*, qui pri-

rimariò *προγνώσει* inservit, in præcedentibus Excerc. dictum est: quibus & *sudor* & *sputum*, djici meretur quippe quorum præsentia vel bsentia, aliæq; conditiones plurimis in moris magnum ad prognosin pondus adferunt.

XI. Sed ridiculus est rusticus ille in viciiâ, dum ex solius *sputi* consideratione, quicuid aliâs, inspectâ urinâ dici vel prædici posse reditur optimè, multoque accuratiùs se pronosticaturum, ineptè gloriatur. Nempè usq; deò mundus vult decipi ut ineruditi Corydois verba prorsus oracula credat. Sed hæc alrius loci.

XII. *Sudor* magnam habet efficaciam significando, tàm ratione *substantiæ* suæ, iàm ratione *qualitatis, quantitatis loci, & temris*, ut mirum non sit toties illius mentionem eri ab *Hippocrate*, in *Aphorism. & libb. Epid.* & ibi. Qaundo verò *Cous* noster *4. aphorism.* . *Vbi sudor, ibi malum*, ait; id ita simpliciter cipiendum non esse, vel febres nos docere ossunt.

XIII. Optimè *Hippocr. in prognostic.* Qui rò rectè inquit, prænoscere volet, & superstis, futuros & morituros, & quibus per plures

dies, & quibus ad pauciores morbus duraturus est, eum signa omnia ediscere & judicare convenit, ita ut vires ipsorum inter se conferendo expendat, quemadmodum perscriptum est, & de aliis, & de urinis, & de sputis, ubi simul & pus & bilem ægrotus tussiendo rejecerit.

XIV. Digna notatu inprimis sunt, quæ *Autor thes. 35.* inculcat; unde imprudenter agunt, qui primo statim morbi tempore etiam in febb. morbisq; malignis, morbi eventum certò prædicere satagunt, cum tamen, uti *Hippocr.* docet, *acutorum incertæ sint prædictiones*; Idem quoque notandum, ubi materia turget; tum enim pleraque esse infida consueverunt.

XV. Equidem doctrinam de *Crisibus* multis difficultatibus involvi, facilè concedimus; qui tamen omne negotium non nisi nugatorium esse volunt, æque ac illi, qui dierum Criticorum numerum planè incertum, adeoque damnandum statuunt, apertè contradicere videntur.

XVI. Distinctio Criseos in jam instantem & futuram nimis subtilis est. Nam, utrum morbus sit habiturus Crisin, nec ne? primo dispiciendum venit, tùm verò demum, quando &

qu

qualis illa futura ſit: Hoc autem totum à natu-
æ coquentis conatu dependere, res ipſa loqui-
ur.

XVII. Quo minus inſuper ſpes ulla poni oſſit in diebus vel *contemplatoriis*, vel *Indicatoriis*, noſtris præſertìm moribus, qui nullam dmittunt diligentiam, vel in cibis, vel in me-icamentis, fieri qui conqueruntur, ſatis cauſæ abent.

XVIII. A quô vero termino dierum Cri-corũ computatio fieri debeat, non convenit nter autores; Nobis illorum placet ſententia, uì ab eâ horâ, in quâ æger manifeſtam actio-um læſionem percepit, id fieri debere docent; ariter in morborum recidivis, non à recidivâ, ed ab initio ipſius morbi computationem in-itui debere arbitramur.

XIX. Rectè, juxta aphoriſm. *Hippocr. 23.* 2. acuti morbi in 14. diebus judicari dicuntur, cet idem *Hippocrates* in *Epidem.* multas hiſto-as contrarias recenſeat; neque etiam à vero pit *Cous*, quando diem 14. imparem vocat. c porrò dies 20. rectè dicitur Criticus non ob-ante *aphoriſm. 36. ſ. 4.* ubi vigeſimus primus ter dies decretorios numeratur.

XX. Lu-

XX. Lunæ motum in reddendâ Crisec ac Criticorum dierũ causâ qui planè rejiciun non minus errare nobis videntur, ac illi, q solam Lunam criticas excitare mutationes; dicant: Et *Lunæ* hîc suæ, & *Naturæ* suæ, suæ iam peccanti *Materiæ* debentur partes; nec reliquorum planetarum χηματισμοὶ negligen veniunt.

XXI. Equidem Pythagorei, uti omnia numeris pendere voluere, ita quoq; judicatio nes seu Crises dierum numero adscribunt, septinarios decretorios, quaternarios indice constituunt, eò quòd hi ipsi numeri maxim digni, maximisque præditi viribus sint. Verum horum rationi calculum addere non possu mus, etiamsi vel ipse *Hippocr. in lib. de princi 4. aphorism. 36. & 59. item in Coacis prænotion bus,* alibique *Pythagoreorum* sententiæ favere atque hisce in locis dies impares Criticos ex propriâ esse, quibusdam statuere videatur.

XXII. Uti malè faciunt, qui morbum in suâ crisi malè tractant; ita non semper bene qui Crisin nimis religiosè expectant: Etenim

Illi opus impediunt, ast hi dant pabula morbo.



EXERCITATIO XVI.

DE

TUENDA SANITATE.

I.

NUnc ad germanas Artis Medicæ partes nos convertimus, ubi ὑγιεινὴ primum occupat ſubſellium; ſiquidem præſtantius eſt cavere, ut ne in morbos incidat quis, quam ab illo ipſo morbũ depellere: *miſerumq;* planè *opus*, uti *Comicus* habet, *tùm demum fodere puteum, ubi ſitis fauces tenet.*

II. Hic autem ſtatìm in limine ſe ſiſtit tuendæ ſanitatis *methodus*, & *Diæta*: illa meritò præmittitur, cùm ipſa Natura, ſtudioſiſſima ſui ipſius conſervatrix, digitum quaſi in eam intendat. Huc pertinet illud *Hippocratis: ſi non medico, tamen Medicina.*

III. Generalia hujus præcepta ſunt: 1. Quod

ſecundùm naturam eſt, conſervandum. 2. πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον; τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές. 2. *aphor.* 51 quò pertinet & *conſuetudo*, cujus quàm admira-bilis ſit potentia, peculiari libro docuit *Gale-nus*, ubi eam alteram naturam vocat, cui effatu quotidiana experientia ſubſcribit. 3. Conſer-vanda quæ ſunt, per *ſimilia* conſerventur: qua ratione autem per *contraria* quoq; ὑγιεινὴ quan-doque ſuccurrat, benè & nervosè ex *Hippocr.* & *Galeno Autor* nos docet.

IV. Diæta ſex rerum non naturalium ſe-riem enumerat, quæ propterea ita dici conſue-verunt, quod pro diverſitate utentis variè ſeſe habeant, & ſi rectè uſurpentur, corpus noſtrum conſervent, ſi non rectè adhibeantur, idem corrumpant & deſtruant. Hinc *ex aëre*, inquit *Hippocr. 3. aphor. 1, in hominibus morbi exiſtunt.* *Idemq́; l. de priſc. Medicin.* docet: *Diverſam vi-ctûs rationem Medicinam inveniendi occaſionem præbuiſſe.*

V. Victus autem, quò ſimplicior, eò me-lior, optimumque cruditatis eſt remedium: varietas licet delectet, tamen nocet. Rectè pro-inde *Antiphanes Delius* Medicus, *etiam unam morborum cauſam* τῶν ἐδεσμάτων τὴν πολυειδίαν *edulio-*

rum

rum varietatem esse dixit. contra, vivitur parvô benè; & tunc verum experimur effatum *Coi*: ἐν τῇ τροφῇ φαρμακείη ἄριστον.

VI. Alia interim est diæta *Infantium*, alia *Iuvenum*, alia *virorum*, alia deniq; *Senum*: in nutriendo *infante* præprimis lac matris commendatur; non desunt tamen rationes, quibus evinci videtur, rectè facere ditiores matronas, dum infantulos suos aliis nutricibus lactandos committunt. Quoad pueros, observandus est *aphor. Hippocr. 13. s. 1.* Contra verò de *Senibus* ita pronunciat *Cous Senex*. γέρουσι ὀλίγον τὸ θερμόν. διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται. Quæstio hîc incidit: num impossibile sit, hominem senio confectum rejuvenescere? Sanè, si præter *Æsonem à Medea* recoctum, (de quô *Ovid. lib. 7. Metamorph. fab. 2.*) non alia nos urgerent & exempla & rationes, negantibus facilè subscriberemus; his verò obstantibus, ut planè impossibile pronunciemus, integrum non est.

VII. Licet non desint exempla eorum, qui non tantùm in dies aliquot, sed & septimanas, immò menses & annos, absque cibo & potu vitam traduxêre, nihilominus tamen verum

manet effatum *Coi*, quando *libr de Carnibus*
Si quis, inquit *in septem diebus nihil edere aut bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur.*

VIII. Salubrius esse, bis de die, quàm semel comedere, statuimus. Notanter *Hippocrates l. 2. diætâ* refert, μονοσιτίην attenuare, & ex siccare corpora, alvumque sistere. Ad hunc locum respexisse videtur *Plinius libr. 28. c. 5.* ubi sic *Hippocrates tradit, non prandentiū exta celerius senescere.* At verò non dicit *Cous senescere, sed* ξηραίνειν, *siccari.* Sit ita: eleganter tamen explicat Hippocratem *Plinius*, uti passìm solet.

IX. Cœnam prandio largiorem esse debere, multæ quidem rationes suadere videntur, vinci tamen illas à consuetudine arbitramur. Optimum igitur consilium erit, ut ne bis in die ad satietatem ventrem impleamus.

X. Panem fermentatum azymo meliorem atque salubriorem dum pronunciat *Cous l. 2. de Diætâ* & *Galen. libr. 1. de aliment, facultat. c. de Tritic.* audiri merentur, etiamsi *Celsus l. 2. c. 24.* hoc negare non dubitet.

XI. Multa quidem pro carnium præstantiâ à multis viris doctissimis dici non ignoramus, ipseque *Galenus* ab horum partibus

stare:

stare videtur, quando *libr. 3. de aliment. facultat c. 19.* carnem concoctionis facilis esse scribit; verum hoc non obstante, majori longè ratione quod de pane aliâs dici consuevit, (quod sc. ejus repletio pessima sit) *de carne*, seu nimiâ κρεοφαγίᾳ (â quâ *Pythagoras* jam olim multis rationibus homines absterrere conatus est) pronunciari posse arbitramur.

XII. Interim sanum satis est *Celsi* consilium, quò monet, *sanos & rectè valentes, nullis obligare se legibus debere, nullum genus cibi fugere, quo populus utitur, interdum in convivio esse, interdum ab eö sese retrahere, & bis in die potius, quàm semel, cibum capere* (quô de thes. IIX. dictum est) *& semper quàm plurimum, dummodo id concoquant, benè dormiant, & frequentius, sese exercere queant.* Neque hoc contrariatur oraculo *Coï sic* eloquẽti *6. Epid. s. 4.* ἄσκησις ὑγιείης ἀκορίη τροφῆς ἀοκνίη πόνων, *sanitatis studium est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.*

XIII. Quidam adeò religiosi esse solent circa ordinem in sumendis cibis observandum, ut liquida & quæ facilis sunt digestionis, solidioribus, adeoque longiorem in ventriculo moram postulantibus semper præmitten-

da esse censeant ; Verùm parùm hoc referre etiamsi solida liquidis præmittantur , ac periculum , quod inde pertimescunt , fulgur è pelvi esse, censemus. Interim consulat unusquisque semetipsum ; sic tela prævisâ minus nocebunt.

XIV. Sanis aquæ potum vini potu convenientiorem dum pronunciamus, fortè vi unum & alterum inveniemus ἰσόψηφον, talemque præcipuè, qui *Clitorio de fonte sitim levavit, vina fugit, gaudetq; meris abstemius undis*. Verum ita vult rei veritas, ut faveamus nunc aquæpotoribus , quibus , ut majori fiducia bibant, hoc insuper in aurem: *Aqua nutrit.*

XV. Vinum Lac senum dici , etiam ἰητρῶν παῖδες nôrunt; interim experientia docet non malè illos consulere senibus, qui quô provectiores ætate sunt , magis dilutum bibere jubent. Cæterum, dum *Athenæus l. 2.* οἶνος inquit, ἐστὶν ὄνησις, tu priusquam applaudas, audi & *Hippocratem*, quando *lib. de aliment. Vinum*, ait, *aliis alimentum, aliis non.*

XVI. Quamquam Zythum , veterum potus , etiam ex frugum decoctione fuerit ; eundem tamen à cerevisiâ nostrâ diversum fuisse;

uiſſe, vel inde colligi poteſt, quod abſque lupulo conficere illud conſueverint, unde ſaniati minus conveniens judicatum eſt, ita ut tiam Elephantiaſin *Dioſcoridi* generari dicaur, quod noſtræ cereviſiæ quoque falsò triuere videtur *Iul. Alexandrin.* etiamſi eandem liâs cum vino comparare allaboret.

XVI I. Non minùs illos, qui valida exercia ad tempus uſque cibum ſumendi contiuant, quàm qui ſtatim ab aſſumto cibo eaem inſtituunt, valetudini ſuæ noxam inferre, ratio & experientia docent.

XVII. Quamvis antiquo pariter ac noro ævo pluribus lucubrationes arriſerint, atue etiam nunc arrideant, nihilominus valedini eas obeſſe potius, quàm prodeſſe ſtatuinus. Hinc ille apud *Gellium* l. 13. Noct. Attic. 29. *vides*, inquit, *oculos meos ægros, aſſiduiſque cubrationibus propè jam perditos?* Interim non iffitemur, pro diverſitate conſuetudinis & aletudinis hanc litem dirimendam eſſe.

XIX. Sudor in perfectiſſimè ſanis, niſi ob xercitium aut errorem in victu, non advertiur, interim tamen in aliis quibuſdam ſanis naralis eſſe haut deſinit; quodſi v. in ſomno & requentior & copioſior acciderit, vel errorem

in

in victu, vel humorum pravorum apparatum manifestabit.

XX. Somnus num calefaciat, an refrigeret, dubitari potest, cùm utrumq; asserere videatur *Hipprocrates*; nam 6. Epidem tx. 5. sic enunciat: *palàm vigilans calidior, externis partibus, frigidior a. internis; dormiens vice versâ*: in *lib. v. de flatib.* hæc habētur: *Cùm enim corpus invaserit somnus, sanguis frigesit; à naturâ n. somno frigefaciendi vis inest.* Sed nodus hic non adeò solutu difficilis erit, si inter viscera & sanguinem ritè distinguatur.

XXI. Animi παθήματα, μαθήματα sæpius fiunt, dumque illis, qui facilius se abripi patiuntur, nocent, unà docent, quàm valide & periculosè spiritus & humores commovere valeant. Quotiescunque v. mortem inferunt, interveniente morbo aliquo eam inferre deprehenduntur.

XXII. Atque ex hisce obiter delibatis, qui peponem pro corde non habent, facilè colligent, utrum juxta vulgi sententiam, *vivere Medicè, sit pessimè vivere?* Coronidem imponat illud *Senec. Epist. 4. Parabile est quod natura desiderat, & expositum: ad superflua sudatur.*





EXERCITATIO. XVII.

DE METHODO MEDENDI.

I.

IS ſanè Medicus ſalutiferam manum porriget ægris, qui καιρῶς uti remediis noverit. Noſcet a. hæc, quem non fugit, quodnam remedium cuique optimum ſit, & quâ quantitate &c. cuique in uſum flecti debeat. Ignorare hæc omnia coguntur, quibus ignota eſt medendi methodus; hac ſine vel optima medicamenta non ſolùm non erunt θεῶν χεῖρες, ſed potius ignis in manu ſtulti, aut gladius in manu furioſi, uti apud *Galenum Herophilus*, imo res ipſa loquitur.

II. Methodo igitur opus eſt, & quidem tali, quæ Rationis & Experientiæ fulcris innitatur: hinc alteram illam qui ſpernunt, & per experientiam omnia invenire ſatagunt, claudicare *Empiricos* cernimus, ſiquidem, teſte *Galeno, temerariæ experientiæ finis eſt totius ani-*

 man-

mantis internecio : hanc v. qui negligunt Me-thodicos non minus infeliciter, quàm *ἀμεθόδ*... progredi eventus docet. Neque enim sola Ra-tio omnia invenire potest, & prava sæpè expe-rientiam corrumpit, Hinc *Galenus 2. M.M.*. licet in omni arte utilissimam esse experien-tiam dicat, ad artem tamen Medicam, cæcam & nudam experientiam prorsus inutilem, uti-lem vero rationi conjunctam pronunciat.

III. Fundamentum autem Methodi in hisce potissimùm quiescit propositionibus: 1. Quicquid indicat, vel sui conservationem vel ablationem indicat. 2. Id quod secundùm naturam est, conservandum, quod verò præter naturam, tollendum est. 3. Contraria contra-riis tolluntur, similia similibus conservantur. Huc respexit *Hippocrates*, quando *lib. de flati*... Medicinam adjectionem & subtractionem esse dixit, adjectionem sc. deficientium per similia, eorum verò quæ abundant, subtractio-nem per contraria. Equidem multis hæc principia impetuntur arietibus, sed immota manet illorum veritas, quam deserere nefas ducimus.

IV. I...

IV. Ex tribus tantùm fontibus morbo
nempè, *morbi causâ*, & *viribus* indicationes
ſuas petit Medicus; & quanquam *Galenus* in-
terdum plura ſtatuere indicantia videatur, non
tamen niſi tria hæc recenſita pro veris atque
genuinis agnoſcenda eſſe, cenſemus.

V. Immo de *viribus* dubitari poteſt,
an inter vera indicantia hîc numeranda veni-
ant, ſiquidem omne indicans therapeuticum
ſui ſublationem expoſtulat, vires vero perpe-
tuò conſervandæ ſunt, unde magis appoſitè
coindicantibus annumerari videntur, quoti-
eſcunque in morbo conſiderantur.

VI. Non ſolum omne indicans agens
aliquod, ſed & in corpore permanens eſſe
ſtatuimus; neque obſtare nobis poterit quod
Galen. l. 9. M. M. 14. corporis temperamen-
tum, quod fuit, antequam homo labora-
ret, indicantis habere rationem poſſe do-
ceat.

VII. Licet unum quandoque plura
indicare videatur, nihilominus tamen *Galeno*
ſubſcribendum eſſe ducimus, quando *lib. 9. m.
m. c. 12.* omne indicans unum tantùm indicare
docet; neque ratio, quam in *lib. de opt: ſect.* po-
nit

ponit, de nihilo est, siquidem unum non ni[...] uni adversari, ipsa contrariorum natura innui[...] imo evincit.

VIII. Quamvis *Hippocr.* 6. *Epidem[...] sect* 5. *Naturam morborum medicatricem dica[...]* tamen per hoc dictum, neque Ars Medic[...] neque Medicus ipse à curatione morborum e[...]cluditur. Totum enim hoc effatum cum cau[...]sarum, quæ in curatione occurrunt, distinctio[...]ne accipiendum est.

IX Optima quidem illa curatio, qu[...] fit *tutò*, *celeriter*, & *jucunde*: *Tutò*, ne la[...]das: hinc benè *Hippocr.* μηδη εἰκῆ; τύχεν μὴ πίστευ[...] Et *lib. de art.* μὴ τόλμῃ, ait, μᾶλλον ἢ γνώμῃ, ne te[...]meritate potiùs quàm consilio. *Citò*: se[...] ne quid temerè, neque tamen temerè cu[...]ctandum. Pulcrè olim *Cleobulus Lyndiu[...]* βίᾳ μηδὲν πράττειν. ἀλλὰ καιρὸν γνῶθη: καὶ κι[...] δύνευε φρονίμως. *Iucundè*, quod fiet, ubi reme[...]diorum pondere ægrum non oneramus, [...] juxta *Solonis* consilium, μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ βέλτιστ[...] præscribimus. Hanc curandi rationem, præ[...]ter *Hippocratem*, nobis etiam commend[...] fusè *Galenus l.* 14. *m. m. c.* 17. Verùm valet h[...] illud *Comici, ùt possumus, quando, ùt volumu[...]*

ha[...]

haut licet. Non licet autem ſemper, ob morbi contumaciam, ægri inobedientiam, aſtantium negligentiam, tacitum medicaſtrorum concurſum, aliasque cauſas quàm plurimas.

IX. Hæc tanti ſunt momenti, ut *Hippocr.* ſtatim in limine ſuorum *aphoriſmor.* monere neceſſum duxerit, non ſufficere, ut Medicus piè & peritè ſuo fungatur officio, niſi & *æger* & *adſtantes* τὰ δέοντα ſtudiosè obſervent. Idem & *Galenus* inculcat, *l.1. de dieb. decretor.* Ubi inter alia, *Medico*, inquit, *æger debet obtemperare, nihilque ex intemperantiâ peccare.* Sic, narrante *Æliano*, medicorum veluti deorum juſſa violare, olim morte piandum nefas; Et *Zauleci Locrenſis* lege ſancitum fuerat: *Si quis merum biberit, non jubente medico, morte luat ſupplicium, quod injuſſus biberit.* At perpaucos hodiè invenias *Locrenſes*, quin potius *Paracelſum* aliquem deſiderant, qui diætâ ſusque deque habitâ morbos quoslibet ſe curaturum glorietur. Id generis hominibus ſi quis utatur interpretibus, rectè *Senecam*, *l. 6. de benef.* ægrotos Medicorum imperatores dixiſſe,

facilè

facilè obtinebit, quamvis locum iſtum vitio laborare, doctiores non ſine ratione autumant.

X. Sed ad *Methodum*. Egregiè *Hippocr. 2. aphoris. 52.* Omnia *ſecundum rationem facienti*, inquit, *ſi non ſuccedat ſecundùm rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, manente eô, quod ab initio viſum fuit*. Dicis: Sed oppoſitum *2. de Loc. in homi.* legitur, ubi ita: *Et ſemper non ſanantem variare oportet modum, & ſiquidem pejus reddiderit malum, ad contrarium te converte.* Sed benè habet. Manifeſta quæ videtur contradictio, manifeſta non eſt, ſed videtur.

XI. Idem *Cous 1. aphor. 6. Ad Extremos morbos, extrema exquiſitè remedia optima pronunciat*; at verò *2. aphoriſmo 51.* contrarium potius inculcat. Tu conſule naturam & facilè invenies hujus nodi ſolutionem.

XII. Multò minùs illos audiendos eſſe arbitramur, qui in verbis aliquam virtutem ad curandos morbos non quærunt ſolùm

ſe:

sed etiam inesse perhibent. Benè Serenus:

Nam febrem vario depelli carmine posse,
Vana superstitio credit.

Quin ipsæ sæpè res suspectæ esse debent, licet primo adspectu nihil mali fevore credantur; ita enim penè usu venit, ubi magica sunt in pretio, ut quæ natura suppeditat, contemnantur, nec possint facilè illa ab aliis distingui, usque adeò commiscente se cum natura vi dæmonum ut perfrequenter in illius locum, horum ludibria obrepant, scribente sic πολυμαθεστάτῳ *Conringio. lib. de Hermet. Med. c. 11.*

XIII. Ob *circulationem sanguinis*, *venas lacteas*, *Vasa lymphatica*, aliaque Anatomicorum inventa utilissima Galenicam medendi methodum planè immutandam esse non infimæ notæ Medici urgent; verum cum eædem maneant Indicationes, *Curatoriæ*, *Præservatoriæ*, *vitales*, subscribi illis non potest, quin potius DEO nos gratias debere, cum Venerando Dno *Socero* meo, in *Manuduct. ad Medicin. part. 1. c. 1. §. 3.* arbitror, quod, non obstante tot novarum

physicarum & Anatomicarum opinionum discrepantia & diversitate Medendi Methodus non solum eadem maneat, sed etiam indies magis magisque inclarescat.

XIV. Modum Curandi *Paracelsi* in conclus. l. 1. Philosoph. sagac. quadruplicem facit, primum per *Naturam*; secundum, per *DEI virtutem*; 3. per *Fidem* & 4. per *dæmones*. Qui per Naturam fit legitimus est: Quoad 2. notandum, DEUM hodiè miraculosè amplius non sanare, sed per media certa & remedia, in hunc finem ab ipso creata; de 3. sic sentimus, ægri verâ fide in Deum ferantur, & ab eo sanationem petant, optimum esse, optandumque ut omnes ægri ita facerent. 4. vero modum simpliciter damnamus.

XV. Qui non nisi *specificis* suis, & arcanis, morbos depellere satagunt, neglectis universalibus, & post habitâ Galenicâ methodo medendi, quam nos optimam judicamus, non parvùm nob. à viâ regiâ deflectere videntur.



EXERCITATIO XVIII.
DE
VENÆ SECTIONE.

I.

SAnguinem, meliorem naturæ thesaurum, (uti appellatur *in lib.* qui *Galeno* adscibitur, *de Anatom. vivor.*) licet anima ipsa non sit, prout *Critias.* & alii voluerunt, spiritus tamen vitalis vehiculum esse, res ipsa satis loquitur. Huc respexit poëta, ita canẽs: *Unâ eademq; viâ sanguisq; animusq; sequuntur*; verèque *Aristotel.l.3.hist.animal.c.19.* si *multum sanguinis*, inquit, *effluat, anima deficit*, (lipothymia oboritur) *si nimium, vita interit.*

II. Hinc apud veteres non deerant, qui omnem *Venæsectionem* damnabant, sicuti *Erasistratum* cum suis discipulis fecisse, â *Galeno l. de V.S. ad Erasistr. c. 2.* consignatum habemus. Rationes vero quas afferunt ut & nos afferamus, instituti ratio non patitur; Sufficiat dixisse, eas tanti non esse, ut vel latum unguem à rece-

S ptâ

ptâ ſententia, quâ V. S. uſus commendatu
non minùs, quàm approbatur, ſecedamus.

III. Cautiùs vero hanc controverſiam
tractat *Helmontius*, quippe qui non niſi in fe
bribus Phlebotomiam, veluti inutilem, reji
cit: ejuſdemq; rationes, quas fusè & confusè *l. a*
febr. c. 4. proponit, maximam partē dignæ ſunt
quæ ſub veritatis incudem revocentur. Interim
eò nos deducere quò volunt, non valent; qu
Naturam ducem ſequentes, comitante Ra
tione & Experientiâ, errare vix ac ne vix qu
dem poterimus.

IV. Indicatur autem V. S. non ſolùm
copiâ & *quantitate*, quâ ſanguis demenſum ſu
um ſuperat, verùm etiā ab illius *motu*; quin im
& *ſanguinē* in febribus *peccantē* comitemq; *cac*
chymiam alicujus hîc eſſe ponderis debere, ea
medendi methodus nos docet, quæ à virium
infirmitate phlebotomiā prohiberi, inculcat.

V. In ſtatu *Curatorio*, urgente causâ & v
ribus oppreſſis, potius, quàm reſolutis, quacun
que diei vel noctis horâ ſanguinis emiſſio
nem non ſolùm, ut utilem, adminiſtrandam
ſed etiam, ut neceſſariam, maturandam eſſe
quotidiana praxis confirmat.

VI

VI. Ἀρτηριοτομίαν veteres quoque celebrâsse, ex *Galeni lib.de cur.rat.per S.m.c.22.l.3.de loc.aff.c.8.& 9.aliisque locis*.liquere poteſt.neq; nos eam improbamus,dummodo â majorum arteriarũ ſectione abſtineatur,aliæq; adſint,quæ hîc requiruntur conditiones: aliâs ſatius omninò ducimus eſſe , ut ἀρτηριοτομία intermittatur , quàm ut novæ operationis, quæ cum periculo conjuncta eſt, introductâ conſuetudine famæ & exiſtimationis alea ſubeatur.

VII. Delectum venarum in morbis curandis aperiendarum magni æſtimâſſe, & religiosè obſervâſſe veteres, illorum monumenta abundè teſtantur. Et hæc ipſa opinio tàm altas hactenus in foro noſtro radices egit , ut contrà methodum peccari medicam credatur, niſi prius incidenda vena ſollicitè electa fuerit. Fundamentum rei non leve præbet *aphor.58, ſect.5.& 36.ſect.6.* Ambiguum tamen hunc facere delectum videtur ſanguinis Circulatio, cùm,hac ſtante, quãcunq; deniq; venã incidas evacuare, derivare, revellere &c. æquè poſſis. Quicquid tamen hujus ſit, iſti delectui adhuc locum relinquendum eſſe, nec parum id conducere,ſtatuimus.

VIII. Quâ autem quantitate ſanguis e-
mitti debeat, parvâ nean magnâ, diſcretâ an
continuâ? non inutiliter diſquiritur. Facilis v
hic videtur reſponſio, cùm, ne plus vel minus
quam vires permittunt,&indicantia poſtulant
emittatur,medendi methodus jubeat. Sed ad
huc utrobiq; militant rationes non ficulneæ,
quarum vim& impetum ut declinemus, limi-
tatione opus eſt, quã diſcurſui reſervare placet.

IX. Quando ipſe *Hippocrat.6.aphor.18.&* *Coac. prænotion. 387. hepatis per ſectiones, & l. II. de morb.* τὰ τρώματα τῆς φλεβὸς αἱμοῤῥόου lethiferæ pronunciat, minime explodenda videtur vul-gi ſententia, quâ, ſi vena pertundatur, præſens vitæ periculum inſtare, perhibet. Quin imò ipſa, quæ ſupervenire ſolent, ſymptomata, do-lor, inflammatio &c. hanc confirmare opinio-nem videntur, ſed ita ſimpliciter rem determi-nare nolumus, cùm & aliæ hîc conſiderandæ conditiones veniant.

X. Cùm omne nimium naturæ inimi-um, teſte *Coo.* queî fit, quod *Idem* lib. *de humo-rib.* debilitare etiam ægrum,& *de acutor. v.241.* n pleuritide acutiſſimâ ſanguinis, vitæ (uti au-divimus) theſauri, extractionem è vena bra-

chii

chii ad animi deliquium tentare jubeat ? re-
ſpondet Experientia : *quia natura quandoque* υφόρως φέρει. Sed Medicus naturæ miniſter omnes hîc prius, quàm hoc negotium aggrediatur, rationes ſubducere debet, ut non ſolùm nihil *timidè*, ſed nec quicquam *temerè* faciat.

XI. Quod ſi ergo hoc licet, imò confert, non minus laudabilis illa & proficua erit conſuetudo, quâ, dum venâ ſectâ effluit ſanguis, eundem aliquoties impoſitione digiti cohibere, diverſis vaſculis egredientem excipere, ſicque mutationem coloris obſervare ſolent chirurgi ? Utique dandum huic aliquid eſt conſuetudini, cùm diſcreta ſanguinis emiſſio ſuâ non careat utilitate.

XII. *Superiori* in *Exercitat.* dictum eſt, ob circulationem ſanguinis nihil ferè in medendi methodo mutari, ſed eaſdem manere indicationes: Interim ſi *Revulſionem*, ἀντίσπασιν illam humorum in vaſis contentorum, conſideramus, melius illam per arterias, quàm venas, fieri, hæc ipſa de circuitu ſanguinis doctrina perſuadere videtur. Sunt tamen rationes, quæ pro venis adhuc ſtrenuè militant, quibus propterea & nos ſubſcribere non dubitamus.

XIII. A venâ sectâ statim dormire n… licere, recepta apud vulgus est sententia, q… insuper non ficulneis firmatur argument… sed consuetudinis, subjecti, aliarumque c… cumstantiarum cùm hîc habenda sit rati… cum limitatione hæc lis dirimi desiderat.

XIV. φλεβοτομίαν inter ἀνώδυνα ἰάματα … ferri debere, multa sunt, quæ evincunt. Cù… hæc assertio suas patiatur difficultates, dist… ctâ doloris consideratione opus est, sicque … cilè deprehendemus quâ ratione V. S. mu… partium doloribus auxilium prorsus bene… ctum & sacra anchora existat.

XV. Cùm V.S. ultimum partium alime… tum, sanguinem, quem proinde ὥσπερ παν… ὕλην vocat *Aristot. l.3. de part. animal. c. 3.* au… rat, illis, qui phlebotomiâ corporis marcorē t… li non posse, statuunt, omninò subscribend… esse, non malè quis urgeret; verùm experie… tiâ edoctis subsidia non desunt, quorum b… neficio apparentē istiusmodi vim eludant. I… terim monere ægrotum conducet, ut ge… roso huic remedio ἀναληπτικὰ alternatim i… terjiciat, & sic extra periculum versabitur.

XVI. Quid vero de *pueris senibusq;* fi… anne & his sanguinem mittemus? Utique! … ex…

xcipit utramque ætatem *Galenus lib. de rat. crand. per S. M. c. 6.* ubi inter alia ſic: εἰ τὸ κατὰ τὴν ἡλικίαν μήτε παῖδες εἶεν ἔτι, μήτε ἤδη γέροντες. Ipſeque *Hippocrat.* ſenibus ψυχρὸν σῶμα eſſe docet *1. aphor. 14.* Non obſtant tamen hæc, quò minus commune illud præceptum : *Vrgentioi occurrendum!* obſervetur. Quêi autem debeat vel poſſit, natura, licet ἀπαίδευτος καὶ ἡ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιεῖν, docebit.

XVII. Cum vero ſæpius tàm belli, quàm pacis, tempore accidat, ut Medicus ad ægrum, ſub jove frigido jacentem, & â causâ internâ vel externa perfrigeratum, accerſatur, non inutilis quæſtio erit: Num, rebus ſic ſe habentibus, V. S. locus ſit? reſpondemus, Cauſarum hîc diverſitatem diligenter eſſe conſiderandam, & hinc non omnem corporis extremorumque perfrigerationem V. S. impedire liquebit.

XVIII. Hallucinari eos, qui ſemper & ſine exceptione ἐκκοπρωτικὸν V. S. præmittendum eſſe contendunt, arbitramur: neque ratio illa, quâ cavendum monent, ne quicquam crudi è meſaraicis venis in jecur rapiatur, multum ponderis habet, &, ut alia ſileamus, cogitari hîc debet, non omnem cruditatem coqui, neque per alvum excerni poſſe.

XIX. Sed

XIX. Sed annon unô die ſanguinem mit-
tere, & purgare licebit, cùm, indicantia ſi con-
ſulamus, & quæ â plethora, & quæ â cacochy-
miâ petuntur, ſæpè coincidere, ſimulq; præſen-
tia auxilium urgere deprehendantur? Fatemur
argumenta non deeſſe eaque ſatis ponderoſa,
quæ utrumq; licere ſuadeāt, verùm altera quo-
que pars audienda eſt; quæ, dum, magnâ ſimul
cautelâ hîc opus eſſe, refert, omne fert punctū.

XX. Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτι-
τρώσκει, καὶ μᾶλλον εἰ μεῖζον εἴη ἔμβρυον, inquit *Hippocr.* *aphor.31. ſect.5.* Hinc multi â V. S. præſenti fœtu
abſtinendum eſſe cenſent, ut ne, quod *Galenus*
in *Comment.* addit, alimenti inopiâ fœtus in u-
tero enecetur. Sed hæc & alia obſtare non de-
bent, quô minus V. S. indicata, adornetur;
ſed obſervandum hîc illud Hippocr. ſ. 2. aphor.
24. καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιεῖν.

XXI. Sunt, qui V. S. eam ob cauſam refor-
midant, ne ſcil. eidem aſſuefiant: arbitrantur
enim, ſi ſemel, iterumve generoſum iſtiuſmodi
remedium in uſum, actumque deduci permit-
tant, fore, ut poſtea, uſu ejuſdem intermiſſo, vel
neceſſariò ægrotent, l. minus firmâ valetudine
fruantur. Sed panicus hic timor eſt, minime
vero ille, quando cautiores S. M. in peſte, ...
ùt minus tutam, metuunt.

EXERCITATIO XIX.
DE PURGATIONE.

I.

DUpliciter aliquid redundare in corpore â *Galen. 11. m. m. 12.* dicitur, vel *quantitate* vel *qualitate*; hinc duo etiam maxima medentium præsidia, quorum beneficio molesta corpori moles subtrahi, & inutilis humorum saburra evacuari potest, *l. 14 m. m. 7.* proponit, *Venæsectionem* & *Purgationem*. De *illâ* vero in *præcedent. Exerc.* egimus; restat ut nunc etiam de *hac* quædam afferamus.

II. Græcis in usu est vox κάθαρσις, apud *Hippocr. Galen.* & alios sæpius reperitur τὸ φάρμακον; cujus , quoties fit mentio apud *Hippocratem* , purgans subintelligi , fidus ejus interpres *Galen. Comm. aphor. 1. s. 4.* alibique inculcat. Cæterùm *purgare* κατ' ἐξοχὴν per inferiora tantùm educere hîc significat.

III. Cacochymiæ purgationem deb... docet medendi methodus; cum enim co... ſtet, humores in corpore vitioſos cumul... p. n. poſſe plurimos, omneque, quod toto g... nere p. n. eſt, omnimodam ſui exſtirpatione... indicet, conſectarium eſt, ſive ſanitatem tu... integram, ſive labefactatam reſtituere ſit au... mus, iſtiusmodi humores peccantes media... te purgatione evacuandos eſſe.

IV. At fortè aliud reperitur medium, q... humorum vitia emendari poſſunt, ita ut n... ſit opus, ad talem excluſionem, quæ quand... que cum virium jacturâ conjungitur, co... fugere? Ita voluit *Aſclepiades*, qui, ſubmo... è foro medico pharmacis, inediâ curari m... bos poſſe, jam ante *Galenum* aſſeruit. Sed nil... inde decedit utilitati & neceſſitati *purgation...* quas ipſa experientia confirmat.

V. Idem vero *Aſclepiades* ulterius a... huc progrediens, divinam hujus præſidii v... tutem nonſolùm in dubium vocare, ſed pr... ſus damnare atque ex ἰατρείῳ proſcribere n... dubitavit. Rationem, cur ita fecerit, ha... reddit, quod ſcilicet purgantibus non educa... tur humores, qui ante purgantium uſum

co...

orpore latitabant, sed ab illis ipsis, ea quæ vacuanrur, pronascantur.

VI. Eâdem chordâ oberrant nonnulli ex ecentioribus, arbitrantes, humores per la-ntia eductos non esse humores, neque pec-antes, sed meram putrilaginem, & merum quamen tabefactum per virus laxativorum. nterim tamen, si sordes primis adhæserint tebris, resolutivis & abstersivis insistendum sse, monent. Sic ipse *Asclepiades*, uti autor est . *Cels. l. 1. c. 3.* siquid corruptum esset, expelli ebere, confessus est, imo in omni ferè morbo vum subduxit.

VII. Cæterum merentur quidem abster-entia & resolutiva laudem suam, neque sal rtari volatile factum virtute attenuandi, & cidendi crassos humores pollere diffitemur: d cacochymiam non tollunt talia, quin pot-s fortè nimis penetrant, suâque arrosione on leve periculum minitantur.

IIX. Quâ ratione v. humores pravos utilium consortio removeant, explicatu aldè difficile est, diversæque hac de re senten-æ occurrunt. *Galenus* enim ejusdemque as-clæ nonnisi magneticam attractionem a.

gnoſcunt; Recentiores vero quidam purgan
tia ſubſtantiæ ſimilitudine ſuccos trahere ne
gant; alii purgantia non aliâ ratione, quàm fa
cultatem expultricem irritando, corpus tur
bare, alvumque movere, ſicque purgationem
non trahendo, ſed pellendo potiùs ad inteſti
na fieri volunt: Alii iterum catharticis non at
trahi humores, ſed per ἀντιπάθειαν & occultam
quandam vim fugari exiſtimant.

IX. Sit cuique ſuus opinioni honos, nob
interìm illorum placet ſententia, qui pharma
ca vel ipſa tota, vel vires eorum ingredi ipſa va
ſa, omnemque eorum virtutem in ſubitâ ac
vehementi remorantium humorum colliqua
tione & ſeparatione, (ipſam interìm expurga
tionem naturâ in alvum moliente) conſiſtere
ſtatuunt. Cur vero ad alvum præſertim iſtiu
modi ſaburram detrudat Natura, facile eſt col
ligere, ſiquidem humoribus peccantibus hi
potiſſimum exitus patet, quem ubi inveniri
haut datur, ad veſicam, ad cutim, alioque eos
ferri, & quidem magnò ſæpè cum valetudinis
incommodô, experimur.

X. Quâ *ratione* pravos humores ab utili
bus ſequeſtrari arbitremur, diximus. reſtat, ut

&

& quâ *vi* & *facultate* purgantia in humores agant, dispiciamus. Hic vero sese variæ iterum offerunt autorum sententiæ, dum alii manifestis, alii occultis id fieri qualitatibus volunt. Nos vi temperamenti purgantia agere censemus, neque illis refragamur, qui cum *Galeno*, purgantium quædam totâ substantiâ sive modò substantiæ operari, perhibent, dummodo Galenica illa phrasis κατ' ὅλην οὐσίαν rite & ad mentem *Galeni* explicetur.

XI. Quamvis autem tot difficultates in indagandâ purgantium naturâ, modo, & virtute agendi sese offerunt, non est tamen, ut illorum usus propterea damnetur prorsus atque rejiciatur; parum enim ad rem medicam facere videtur, sive quis per magneticam *Galeni* attractationem, sive per Expultricis *Erasti* irritationem, sive per catharticorum, quam nos approbavimus, in vasa receptionem, & hinc ortam resolutionem & separationem humorum evacuationem atque expurgationem fieri statuat, cùm nihilominus Medicus officio suo optimè defungi possit.

XII. Purgantia vero vel sunt ὑπακτικὰ, vel κατ' ἐξοχὴν καθαρτικὰ, & hæc iterum juxta com-

munem ſententiam, vel *cholagoga*, vel *phlegmagoga*, vel *melanagoga*, vel denique *hydragoga*; *Iuxta communem ſententiam*, dico: Etenim temerè negari non poteſt ad diverſos humores diverſa quoque purgantia requiri, & in unius alicujus humoris abundantiâ quædam magis, quàm in alterius convenire; verùm exinde minimè ſequitur, purgantia determinatum aliquem humorem ita educere, veluti plantæ ſuccum aliquem ſibi familiarem attrahere videntur; quin potius quæ de *electivè purgantibus* vulgaris fert ſententia, etiamſi veterum autoritate, non planè deſtituantur, Rationi tamen & Experientiæ apertè repugnant.

XIII. Pravos humores purgationem indicare ſeu depoſcere, ſuperius innuimus: videndum tamen prius eſt, quâ in copiâ adſint, niſi n. majori in quantitate abundent, diætâ potius, aut leni aliquâ evacuationis ſpecie corrigendos eſſe, bene monet *Autor*; hincque patere poteſt ratio, cur *Hippocrat. l. 2. aphor. 36. & 37.* οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, purgationes difficulter ferant? Nimirùm in his verum καθάρσεως indicans demonſtrari nequit.

XIV. Quodſi vero purgationis indicans

ad-

adfuerit, nec tum illicò ea inſtituenda, ſed diſpiciendum prius eſt, num æger aptus ad purgationem ſit, nec ne? neque n. ſufficit, humores pravos adeſſe, verùm inſuper requiritur, num vires validum iſtiuſmodi remedium ſuſtinere valeant, cùm talis evacuatio, uti benè *Aut.* ipſaq́; experientia monet, ſine inſigni totius commotione fieri nequeat. Hinc ipſe *Galen. l. 9. m. m. c. 10:* ubi vires imbecilles ſunt, & corruptela humorum adeſt, vitioſi ſucci eductionem eam, quam Græci ἐπίκρασιν vocant, nobis commendat. Huc pertinet etiam illud *Hippocr.* ἀρχομένων τῶν νούσων ἢν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει: ἀκμαζουσῶν ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν. In principio n. vires adhuc ſibi conſtant, progreſſu vero morbi plurimùm dejiciuntur.

XV. Quod infantes, qui adhuc nutricis lacte utuntur, concernit, cautè hîc procedendum eſt, optimèque faciemus, ubi conſilium *Hippocr. 6. Epidem.* ſect. 5. ritè obſervaverimus; ita v. ille: Γυνὴ, αἶξ, ἐλατήριον ἢ σικοῦν ἄγριον βεβρωκυῖαι, καὶ παιδίοισι κάθαρσις. Nempè nutrix purgari, & quidem per benigniora debet.

XVI. Non parùm quoque tribuendum eſt conſuetudini, & naturæ proprietati ejus, qui

qui purgari debet; cautius n. non aſſueti ſun purgandi: ſic quidam mitioribus etiam medicamentis facilius copioſiusque purgantur, alios v. fortiora vix movent. Eligenda quoque e medicamenti materia, nam omnes non co mnia ferunt. In illis denique, qui facilè lipothy miâ corripiuntur, magnâ quoad purgationem εὐλαβείᾳ & circumſpectione opus eſt.

XVII. Cæterum quando *Hipp.* πέπονα, μ ὤμα, purgante medicamento educenda eſſe docet, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ, diverſimod. ora culum hoc autores interpretantur; illi tamen proximè ad rem accedere videntur, qui *Hipp* hic non de morbis aliis promiſcuè, ſed ſolùm de febribus putridis loqui arbitrantur. In omnibus tamen confert morbis, ut corpora quæ pur gari debent, prius εὔροα reddantur.

XIIX. Vulgus equidem eas duntaxat pur gationes perfectas & meliores exiſtimat, qu copiosè evacuant; ſed malè: τὰ γὰρ χωρέοντα teſte *Coo.* μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ' ὡς ἂν χωρ οἷα δεῖ, καὶ φέρει εὐφόρως. Aliud præterea ſignum memorat *Hippocrat. 4. aphor. 19. ſitim* ſcilicet haut quamlibet, ſed quæ ob evacuationem accidat.

EXERCITATIO XX. ET ULTIMA.

DE
MATERIA MEDICA.

QUemadmodum artifex cum detrimento ſuo operatur, ubi inſtrumentorum naturam atque conditiones ignorat, ita quoque Medicus per ortes aliorum experimenta facit, etiamſi, uid agendum ſit, optimè cognitum habeat, iſi ſimul quoque, quâ materiâ, tanquam onvenienti organo, talis operatio expediena omniaq; in effectum ritè deducenda ſint, eterminare ſciat.

II. Triplex verò hîc auxiliorum materia ccurrit, eandemque res *Diætetica*, *Pharmaceuicæ*, & *Chirurgicæ* nob. offerunt, cum omnia in nem, ut ſanitas vel conſervetur vel reſtituatur. ertinet huc illa diſtinctio, quam nobis ſuppe-

ditat *Galen.l.1.de aliment.facult.ubi* aliud *auxilium*, aliud *materiam auxilii* esse docet.

III. De *Diætâ* superius diximus, ex quibus etiam constare poterit, non errare illos, qui plurimùm ipsi tribuunt; unde ipse Galenus eis qui diætam observare nolunt, nulla præscribenda esse medicamenta scribit. Cæterum ut ne cramben bis coctam apponamus, hîc solummodò hoc ponimus, alimentum esse αὐξητικὸν τῆς τροφῆς, indeque in proprie dicto alimento nihil aliud, quàm ut â corpore mutatum, assimiletur, requiri, nisi forte simul dum coquitur, insigni quadam operandi qualitate corpus nostrum alteret, quod tunc φάρμακον τροφῶδες, καὶ τροφὴ φαρμακώδης vocari solet.

IV. *Medicamentum* quod attinet, illud Græcis φαρμάκȣ vocabulo exprimitur, quod nonsolùm propriè dictum medicamentum, sed etiam venenum & pigmentum denotat. Est vero medicamentum, autore *Galeno* id omne, quod naturam nostram alterare potest. Naturam *nostram* dico: non enim nisi in comparatione ad corpus humanum considerari debet, prout docet Id. *Galen. l. 1. simplic. c. 38.*

V: Sunt

V. Sunt, qui occultas medicamentorum facultates prorſus negantes, non niſi manifeſtas agnoſcunt, atque ab evidentibus qualitatibus omnes operationes deducere conantur, alii vero juxta philoſophos *Scepticos* & Medicos *Empiricos*, eſſentiam facultatum penitus occultam ſtatuunt, cum quorum opinione Paracelſi placitum ex parte coincidit, rejectis qualitatibꝰ manifeſtis, quas relollaceas & ſteriles ſignaturas appellat, vires conſubſtantiales excogitavit. Nobis verò mediâ placet re viâ, & tam occultas, quàm manifeſtas medicamentorum vires admittere.

VI. Manifeſtas qualitatum operationes Experientia cum Ratione determinat, at occultas ſolâ experientiâ cognoſcimus: *Hermetici* alium indagandi modum commendant, dum vel per *externas*, vel per *internas* rerum *ſignaturas* operandi facultates rimantur; internas quidem non rejicimus, ſiquidem Dogmaticorum aſſertio inde non corruit, ſed tantùm ulterius declaratur, quoniam tenuitas illa & craſſities materiæ melius determinatur; externas vero quod attinet, parum inde veri elici poſſe arbitramur.

VII. Medicamenta quô simpliciora eô plerumque meliora sunt ; interim cùm indicans sæpè multiplex occurrat, non semper simplicia sufficiunt. Accedunt insuper aliæ causæ, tam respectu ipsius medicamenti, quàm ægri & *affectæ* partis, quæ compositionis medicamentorum usum & necessitatem abundè demonstrant. Quicquid verò hujus sit, parum inde subsidii sperare possunt illi, qui omnia confundendo saccharo aloen, balsamo asafetidam, pilulas electuariis eorumq; decoctiones potionibus permiscent, eô se doctiores udicatum iri credentes, quo plura simplicia & composita accumulant, nulloq; ingredientium examine instituto, in perniciem ægri vel saltem ejus incommodum, dosin aut transcendunt, aut plane non attingunt.

VIII. Medicamenta *chymica* multam quidem laudem merentur, ob multas utilitates, quas tàm ad præservationem, quàm curationem morborum adferunt: Propterea tamen *Galenica* non sunt negligenda, quin potius pari passu ambulent, & utrisque suus tribuatur honos; quod quidem illi facere non videntur, qui Chymica sine modo adhibentes vulgaria remedia

m

media contemnunt & vel etiam ἐν ψύλλης δήξει θεὸν ἐπικαλοῦσι.

IX. Medicamentorum inſcriptiones ſi quis quandoque cum re ipſa contulerit, inveveniet, plus in rubricâ, quàm in nigro, & plus in fronte, quàm receſſu eſſe: ſæpè tamen talia placent, quia veluti nova & inaudita commendantur, interim qui facilè credit, facilè decipitur.

X. Equidem plumbeis telis parùm efficiet Medicus, ſed neque *arcàna* illa, illa *ſecreta*, neglectis univerſalibus, laudabilem operam præſtabunt; ut benè & ad rem prorſus ille dixerit, qui cuidam ſecreta petenti, dixit: *Diſce meam methodum, & habebis mea ſecreta.*

XI. Quamvis facilè largiamur, licere etiam Medico componere medicamenta, neq; ignoremus, plurimis ſeculis eundem morem obtinuiſſe, atque etiam nunc apud non paucos obtinere; non eſt tamen, ut propterea publicas officinas pharmaceuticas ſuâ quis defraudet laude, vel eas planè improbet, cum iſtarum manifeſta ſit utilitas, dumodè rectè & honeſte omnia ut fiant, curetur. Ipſam inſuper artem

Medicam siquis consideret, facile subscribe Galeno. quando *Artis*, inquit *magnitudo vitam superat humanam, adeò ut ab homine quantumv diligenti atq; industrio, nequeat & inchoari & a finem perduci.*

XII. Dari Medicamenta specifica, quæ simpliciter sint vel κεφαλικὰ vel καρδιακ multi negant, cùm nihil horum ita uni corpo ris parti deditum sit, ut in aliis nihil valea Multoque minus insuper quicquam usqu adeò in unam aliquam partem valere, qua ad omnes ejus affectus idoneum sit experienti constare videatur. Sed & eadem nos experien tia edocet, multa esse medicamenta, quæ certi & determinatis partibus indefinitâ proprietat vim inferunt, & perniciosa existunt, ut vel contrario sensu firmissime inferatur, ess itidem multa medicamenta, quæ certis, & de terminatis partibus prosint, opemque egregi ferant.

XIII. Fuerunt olim, suntque etiam num plurimi, qui ad popularia & domi nata remedi universam reducere medicinam tentarunt. Id *Plinius* quoque *l.24.c.1.* commemorat, medi cosque reprehendit, qui Indos, Æthiopes, Ara

bes

es,in auxilium vocant. Verùm licet non parvi-
onderit ſint,quæ ad firmandam hanc ſenten-
am afferri conſueverunt ; nihilominus ta-
nen, ut alia nunc ſileamus , ipſa experientia
ſtendit , nos aromatibus, vinoque aliundè
dvectis, commodè & ſine noxa uti. Medi-
amenta porro non ſunt ſimilia naturæ , ſed
uodammodo adverſa, quoniam, ceu ſuperius
ictum ex *Galeno* eſt , eam alterant; hinc ſanè
eceſſitas requirit,ut Medicus iis utatur,quæ,id
ræſtare quàm commodiſſimè poſſunt, adeo-
ue niſi domi invenire talia detur, aliunde re-
etat. Cæterùm ſi pari cum utilitate fieri id-
ueat,ſemper domeſtica peregrinis præmitten-
a eſſe,ultrò largimur.

XIV. Cùm in omnibus morbis maximè
rium ratio habenda veniat, mirum eſſe non
ebet, ſi æger eas ſibi conſervari poſtulet; num
erò id frequenti cardiacorum remediorum
ſu obtineri queat , meritò dubitatur ; neque
ordialia & roborantia, qualia præcipue vulgus
oſtulat,prodeſſe poſſunt, niſi ad diverſitatem
auſarum, unde virium imbecillitas dependet,
rudenti conſilio reſpiciatur; quin immo res
ſa loquitur id unde virium refectionem hi

tales.

tales ſperant , viribus non rarò plurimùm nocere.

XV. Quamvis à ratione fortè alienum non eſt,poſſe dari Medicinam ita temperatam, ut & calidi innati, ſeu ſpiritus inſiti , quem alii *Archeum* vocare amant , exorbitantiam & ὀργασμὸν coerceat, atque interim hunc foveat taleque radicalis humidi in nobis moderamen conſtituat , ut non tàm facili negotio vel diſſipetur vel conſumatur; adeoque flammula hæc vitalis extinguatur , & licet verum inſuper ſit quod *Celſus l. 3. c.* 1. ſcribit *repugnante Natura nihil artem proficere*, nihilominus tamen nondum video , quâ ratione quis exinde *Medicinam* dari *Vniverſalem* demonſtrare velit vel poſſit. Ut jam non dicamus , *anaticam illam qualitatum elementarium temperiem*, in cujus perfectâ cognitione omnis cuipiam ſpes reſidet,præterquam quod *Platoni* non immeritò humanum ſeparare captum videatur , parum ſubſidii hîc ſuppeditare poſſe , ſiquidem corporis noſtri conſtitutio iſtiuſmodi *anaticam* & in æquilibrio poſitam tàm primarum quàm ſecundarum qualitatum temperiem reſpuit potius, quàm ut valdè deſideret,

